
MARCVS TVLLIVS CICERO





DE NVMMO
M. TVLLII CICERONIS
A MAGNETIBVS LYDIAE
CVM EIVS IMAGINE SIGNATO
DISSERTATIO
QVA
IPSIVS INCORRVPTA VETVSTAS
ASSERITVR ET VINDICATVR.

ROMAE
TYPIS VINCENTII POGGIOLI
A. VVLG. AER. MDCCCV
FACTA AB IIS QVI PRAESVNT EDENDI POTESTATE

HENRICVS SANCLEMENTIVS D. CVSINERIO CL. VIRO SALVTEM

ROgasti me, Clarissime Vir, tuis humanissimis literis, ut de Classensi Ciceroniano Numismate, de altero, quod ad tuum insigne Museum ornandum paucis abhinc annis accessit, de caeteris, quae innotescunt, atque in celeberrimis Imperiali Parisiensi, et Regio Neapolitano Gazophylaciis servantur scriberem ad te, quid statuendum mihi videretur. Neque modo quo ad ipsorum γνησιότητα, de qua minime dubitas, sed etiam quo ad imaginem, et epigraphen, quae nobiliorem, praecipuamque nummi partem occupant. Nam cum animis hominum etiam doctrina, et eruditione praestantium non levis adhuc de ea effigie suspicio insideat, ex inconsiderata potissimum Ioannis Fabri sententia, qui olim in illustratione Imaginum Bibliothecae Fulv. Vrsini de primo Ciceronis nummo tum invento statuebat: illum

in viventis Tullii honorem a Magnetibus editum fuisse, cum Quintus Frater Asiae Provinciam Propraetor obtineret: tu ipse Cl. Vir eadem percelli, et in sermone mecum ostendebas, et in epistola tua confirmas. Id enim, et recte quidem, iudicas: tum Romanis, cum etiam Graecarum Vrbium legibus, et consuetudini esse prorsus alienum. Hinc ad eam potius sententiam deferri te velle declaras, ut in ea imagine Iul. Caesarem agnoscas, et in inscriptione aliquem Magnesiae Vrbis Patronum, quam de Numismatis authentia dubitare.

Plurimum itaque interesse cognovi, ut tibi morem gererem, atque de tota re quid veritati consentaneum mihi videretur exponerem. Dissertationem hanc itaque nostram accipies, Praeclarissime Vir, in qua argumentis omni exceptione maioribus probasse mihi visus sum Numismata Ciceronis, quae hactenus ad nos pervenerunt, ab omni iusta adulterinae mercis querela, et suspicione quam longissime abesse, quod tuum de iis iudicium confirmat. Tum vero ex instituto Io. Fabri opinionem ut falsam, et absurdam deserendam esse ostendi, atque illud pro certo ha-

bendum statui: nummos, de quibus sermo est, Ciceroni dudum vita functo dicatos fuisse, atque insuper me invenisse arbitratus sum tempus maxime opportunum, quo iusta de causa in ea Vrbe disertissimi Oratoris memoria eo pacto renovaretur. De imagine autem eidem post mortem a Magnetibus eo in numismate expressa mecum sentire ex eius epistola accepi, et gratulor, praeclarissimum, atque in omni antiquitatum genere versatissimum Virum Ennium Quirinum Vicecomitem, quem tu hic Parisiis consulere poteris. Hinc minime dubito, quin tu quoque, hac dissertatione perlecta, non amplius de Iul. Caesaris effigie cogites, cuius lineamenta ipsa tam in latinis, quam in graecis nummis, ut nosti, ab hac nostra plane dissentiunt; sed meam, ac Vicecomitis, quem plurimi facis, sententiam lubens amplectaris. Quod si feceris, te Auctore, qui me, ut haec scriberem flagitasti, summopere gaudebo, quod tandem non modo Ciceronis memoria in animis hominum vigeat, sed etiam eius vera, et genuina effigies in ipsorum oculis reviviscat.

Quod postremo loco quaeris Vir Cl. utrum se-

lecta ex meis rivulis, parvoque Museo numismata graeca, aut ea, quae ad rem chronologicam pertinent, proelo committere coeperim, praeter alias curas, quae moras afferunt, tua postulatio in causa extitit, cur hactenus rem intermitterem, sed brevi spero fore, ut manum iis quoque edendis admoveam. Vale.

PROOEMIVM

NIhil homini ad civilem societatem nato, atque liberalibus disciplinis instituto iucundius accidere solet, quam ut eorum aspectu, et consuetudine fruatur, quorum egregias animi dotes, praestantissimumque ingenium merito suspiciat, atque admiretur. Ita enim a natura comparati sumus, ut in id, quod honestum, quod laudabile est, praestatque caeteris, ingenita quadam vi, sensuque feramur. Quid autem virtute exellentius, quid honestius, aut laudabilius inveniri potest, cum sine ea ne honestatis quidem nomen, nec vera laus haberi, et existere possit? Ac mihi quidem praeclare, ut assolet, verissimeque affirmasse videtur Cicero ipse, cuius modo imaginem vindicandam, atque illustrandam suscepimus, cum ita virtutem expressit, ut ea nihil pulchrius, nihil formosius esse assereret, cuius eximia species si oculis videri posset, admirabiles sui amores excitaret. Cum enim pulchritudo, quae in rebus corporeis cernitur, in apta quadam partium compositione, et convenientia consistat: quid tam aptum, et conveniens excogitari potest, quam excellens, et perfecta virtus, quae in animis hominum insidens, id omne quod elegans, quodque decorum est plene, cumulateque in se continet. Hinc intelligimus, cur viros fortes, et sapientes, aut alio quolibet splendore virtutum illustres, nec eos modo quibuscum vivimus, vel amicitiae vinculo coniungimur, sed et alienos, quique a nobis longissime absunt, aut etiam multo ante nos vixerunt, diligamus, et honore prosequamur: cur praeterea eorum gesta, vitae actiones, ingenii monumenta, praeclara ipsorum in Rempublicam, et in genus

humanum merita dum narrantur, vel historiae monumentis tradita leguntur, nos summopere delectent. Nec alia profecto de causa mira quadam animi iucunditate perfundimur, cum eorum simulacra, signa, imagines oculis nostris subiicimus, et contemplamur; in earum enim specie, et forma, totiusque oris lineamentis expressam animi, virtutumque effigiem nobis intueri videmur. Hinc merito Plinius lib. XXX testatur: = *quod ex auro, argentove, aut certe ex aere in Bibliothecis dicarentur illi, quorum immortales animae iisdem locis veluti loquebantur, nullumque*, subdit, *maius esse felicitatis specimen, quam scire qualis quisque fuerit.* = Quod si de singulis huiusmodi imaginibus, quas ad posterorum memoriam vel aetas nostra, vel praegressa iam consecravit antiquitas generatim verum est, quod illae cum virtutis incitamento oblectationem afferant; id sane de iis praecipue intelligendum erit, quae eximios illos viros repraesentant, qui tum ipsi per se in magna laude vixerunt, cum ingentes ex eorum sapientia, studiisque utilitates in nos quoque redundarunt.

Itaque rem praeclaram me facturum existimavi, si rogante Cl. Viro, eximium M. Tullii Ciceronis nummum cum eius imagine a Magnesia Lydiae signatum, a Mauro Sartio Praeceptore meo doctissimo Viro olim Romae comparatum, deinde in meis scriniis diu servatum, tandem in mei Classensis Monasterii Ravennatis Museo consecratum in lucem proferrem, eumque cum caeteris, qui ad meam notitiam hactenus pervenerunt, tantorum iam non modo scientia, et eruditione, sed peritia etiam, atque exercitatione praeclarissimorum virorum accedente auctoritate, ab omni νοθείας suspicione, qua primus olim Fulvii Vrsini immerito respersus fuerat, caeterosque hactenus infecerat ex instituto vindicarem. Quid enim magis gratum unicuique accidere poterit, quam si Cicero-

nem veluti redivivum ipsorum oculis exhibeam? In Cicerone enim, quod neminem latet, praeter reliquas excellentes virtutes, quibus maxime enituit, tanta vis ingenii, tantum eloquii decus eluxit, ut ille omnem caeteris mortalibus paris consequendae laudis spem plane eripuisse visus sit. Tanta praeterea, tamque praeclara ingenii sui monumenta nobis reliquit non modo ad ornate, copioseque dicendum, sed etiam ad bene, beateque vivendum, ut merito apud quasque Nationes, in quibus cultus aliquis, vitaeque ratio extitit, in amoribus semper, et deliciis fuerit, eiusque memoria, quamdiu literae extabunt, nunquam interitura videatur. Romanae igitur eloquentiae Principis, clarissimique viri de literis, de omni hominum genere supra quam verbis ennarrari possit, optime meriti imaginem ad Archetypi fidem summa diligentia elaboratam lubens accipiat eruditus Lector, in qua contemplanda maiores etiam iucunditatis fructus percipiet, postquam perlectis hisce Vindiciis nostris, de indubia eximii numismatis vetustate sibi constiterit. Nam cum reliquae omnes, quae hactenus circumferebantur Ciceronis effigies coniectura tantum eidem adscriberentur, hanc unam ad veri similitudinem expressam deinceps intuebitur.

Erunt autem huius Dissertationis partes duae: in prima Ciceronianum nummum ab omni falsitatis suspicione immunem esse perspicuum fiet: in altera afferam quidquid ad idem Numisma, Urbemque Magnesiam, a qua ortum habuit, illustrandam pertinere videbitur.

QVO AD HVMANVM GENVS INCOLVME MANSERIT QVAMDIV VSVS LITERIS HONOR SVMMAE ELOQVENTIAE PRETIVM ERIT QVAMDIV REIPVBLICAE NOSTRAE AVT FORTVNA STETERIT AVT MEMORIA DVRAVERIT ADMIRABILE POSTERIS VIGEBIT CICERONIS INGENIVM.

Marius Fuscus apud Senecam Suasoria VII.

DISSERTATIONIS PARS PRIMA

CAPVT I.

Singuli recensentur nummi ad nostram usque aetatem inventi cum imagine M. Tullii Ciceronis, et epigraphe Magnetum Lydiae ab Sipylo, simulque argumenta proferuntur, quae eosdem ab omni adulterinae mercis suspicione immunes plane demonstrant.

Nummus, de quo sermo instituendus sic se habet: ΜΑΡΚΟΣ ΤΥΛΛΙΟΣ ΚΙΚΕΡΩΝ Caput Marci Tullii Ciceronis in virili, florentique aetate, facie, et aspectu decorum.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ ΘΕΟΔΩΡΟΣ. Dextera manus lauream retinens coronam, item lauri ramum, spicam, et uvae racemum. Aer. II. Vide praemissum schema, quod ad autographi fidem, et similitudinem accurate delineandum curavimus.

Sex hactenus mihi innotescunt ex huiusmodi nummis aereis secundae, ut appellant, magnitudinis, qui effigiem M. Tullii nobis exhibent. De singulis hic breviter historiam texere praestat, ut ex ea facilius de ipsorum authentia constare queat. De primo testis est Ioannes Faber in Libro, cui titulus: *In Imagines Illustrium ex Fulvii Vrsini Bibliotheca, etc. Antuerpiae* 1606. Pag. enim 85, ubi Ciceroniani nummi illustrationem affert, prope finem haec habet verba: *Obiter hic adjiciemus, triginta, et plus abhinc annis numisma prorsus alteri Fulvii Vrsini simile, et ab eodem Monetario cusum in agro Romano erutum esse, sed ita aerugine consumptum, ac*

deformatum, ut vix, ac ne vix quidem agnosci posset. Anteriorem huius nummi partem magis corruptam extitisse oportet, posteriorem vero minus deformatam; cum enim Faber affirmet illud numisma ab eodem Monetario cusum, ipse vero ibidem in ea opinione se esse demonstret, ut nomen ΘΕΟΔΩΡΟC pro Monetarii nomine accipiendum putaret, consequens sane erit nomen illud, typumque aversae partis satis conspicuum extitisse.

Hanc notitiam forte hauserat Faber ex ipsius Ful. Vrsini schedis. Cum enim ille anno MDXCVIII opera Dallaei monumenta singula, quae in suo praedivite Museo servabantur delineanda curasset, ut deinceps in aes incisa ederentur, Gasparem Scioppium virum eruditum amicum suum rogaverat, ut brevibus notis, et illustrationibus eadem ornanda in se susciperet. Quod ab illo magna ex parte praestitum fuerat: sed biennio post, anno nimirum MDC mense Junio, Fulvio e vivis abeunte, omnique a Scioppio abiecta cura, eademque in Fabrum translata: en quid a se praestitum fuisse testetur in sua ad Cynthium Aldobrandinum Cardinalem Epistola, quam notis, et illustrationibus a se editis praemisit, et ubi integra facti series a me descripta continetur. *Notas*, inquit, *tam Scioppii latinas, quam Fulvii italicas diligenti lectione recognovi, ut nonnulla, quae deesse forsan viderentur, adderem, alia vero superflua, et otiosa praeciderem, Libellumque ex illis, quas dixi, notis conflatum voto publico diutius debere nolui.* Itaque notae in illustrium virorum imagines sub Fabri nomine Antuerpiae editae An. MDCVI, non tam eiusdem, quam ipsius Ful. Vrsini, et Gasparis Scioppii merito habendae sunt. Ful. Vrsinus iam ab anno MDLXX Romae formis Ant. Lafrerii imagines plures, et elogia Virorum illustrium e sua Bibliotheca ediderat, eodemque tempore totus incumbebat in augendis huiusmodi opibus, et undi-

que conquirendis novis gemmis, numismatibus, aliisque vetustis omnis generis monumentis. Nihil ergo temere faciam, si quod ad Ciceronianum nummum in agro Romano inventum spectat, ab ipso Fulvio visum, et in suis schedis adnotatum fuisse putaverim, quodque a se empto deinceps altero, de quo mox dicemus, instituta inter utrumque comparatione ex aversae partis typo, atque epigraphe minus corrupta, aliisque vestigiis facile agnoscere potuerit unum et alterum nummum inter se plane similes esse, et ad eundem Tullium pertinere. Verum sive ex Vrsini schedis ea notitia profecta sit, sive ex alio quolibet fonte, nemo sane tam iniquus erit iudex, ut in ea narratione fabulam mentiendi causa a Fabro confictam fuisse suspicetur.

Quibus positis necessario consequitur aliquando a Magnetibus Lydiae nummum editum fuisse cum Ciceronis imagine, ut tanti viri memoriam posteritati commendarent. Neminem enim latet vetusta quaelibet aerea monumenta ad nativam, sibique inhaerentem aeruginem inducendam opus habere, ut longo saeculorum intervallo sub terrae visceribus delitescant: quod magis magisque concedendum est de iis, quae maiora accipiant detrimenta, ut de nostro liquet. Neque sane de fraude, aut dolo malo dubium aliquod suboriri potest. Nam ut caetera modo omittam argumenta ex ipso numismate, singulisque eius symbolis, imagine, atque inscriptione deprompta, quae ipsius γνησιότητα in tuto collocant, de quibus suo inferius loco dicemus: quae ab hominum malitia, et fraude prodeunt conficta numismata, neque e terrae visceribus effodiuntur, neque impressas imagines, figuras, epigraphes sic deformatas exhibent, ut nullo venditoris emolumento esse possint. Quin immo adulterinae huiusmodi merces ab iis, qui in hac sordida, turpissimaque arte versantur summo studio, artificioque conficiun-

tur, ut integritate praestent, emptoremque alliciant ad magnum inde, quo ad fieri possit, sibi lucrum acquirendum. Nummus autem, de quo sermo est, totus in scoriam abierat, nec aptus ad usum aliquem, aut lucrum esse poterat. Si ergo veritatem amamus, primum hunc nummum genuinum extitisse confitendum est. Ac revera ipse per se, nullo etiam defendente, primigeniam suam vetustatem tuetur, et clarissime manifestat.

Sequitur alter Fulvii Vrsini, quem ille ineunte anno MDXCVIII Bononiae sibi magno pretio comparaverat. Eximium hoc Cimelium immerito adversam subiit fortunam, nam adhuc superest, et in utriusque Siciliae Regis Gazophylacio servatur, easque vetustatis notas in se habet, ut qui sunt nostrae artis periti, ne hilum quidem de ea dubitent, de quibus alibi opportunius mentionem faciemus. Ast vero Fulv. Vrsini aetate, quamvis statim ac Romam allatum fuerat, et in manus Cl. Emptoris sui venerat, tam ab ipso oculatissimo Fulvio, quam a caeteris in Vrbe praestantibus Viris, qui exercitatione, et peritia in aestimandis huiusmodi mercibus in laude versabantur sine controversia pro genuino, ac legitimo agnitum fuisset; tamen, quemadmodum contingere solet, ut quae novitate percellunt facile in dubium, et quidem sine ratione, ut plurimum, atque inconsiderate revocentur, sic accidit praeclaro huic Vrsini Numismati. Statim enim non pauci homines, iique nec indocti, qui tamen de peritia in rebus Numismaticis diiudicandis nihil sibi arrogare poterant, ex coniecturis tantum illud in suspicionem vocare non dubitarunt. Obiiciebant enim absonum sibi videri privato viro, et ut eorum ferebat opinio, adhuc viventi, imaginem publica moneta signari potuisse, quasi vero Ciceroni dudum defuncto nummus signari non potuerit, quemadmodum reipsa ita factum esse, nec aliter fieri potuisse suo loco videbimus: quod insuper in-

solens sibi videretur typus aversae partis, et inscriptio: et alia id genus obtruderent, ex quibus illud evenit, ut falsa illa, et praeiudicata opinio mentes hominum ita oppleverit, ut nondum evelli potuerit, et quamvis summi viri nummum, de quo sermo est magno in pretio habuerint, eiusque insculptam imaginem in suis libris summopere commendaverint, tamen de eius authentia lis adhuc in suspenso maneat, nec definiri posse videatur, nisi uberioribus argumentis, monumentisque omnis plane dubitandi occasio auferatur. Quod hoc iam tempore futurum pro certo habeo, quoniam quatuor alii eiusdem Ciceronis nummi detecti sunt, quos aptissimos iudico ad supremum tandem huic controversiae finem imponendum.

Sed ante quam progrediamur removendam hoc loco censeo criminationem, qua Cl. Paciaudius in Animadversionibus Philologicis de hoc Vrsini nummo tamquam suspecto sermonem instituens, Iulium Caesarem Velium, et Alexandrum Borgianum Bononienses aspergit, quasi uterque mala fide se gesserit in venditione eius nummi, ac Fulv. Vrsinum earum mercium cupidissimum deceperint, qui tamen accepto vix Numismate *thecnas sibi structas persenserit, falsitatis signa odoratus sit, et cum venditore fraudationem expostularit*. Quoniam vero provocat Cl. Vir ad autographas Epistolas, quae inter Codices Vaticanos servantur, easdem perlustrare mihi necessarium duxi, ut de rei veritate certius mihi constare posset. En porro quid inspectante una mecum praeclarissimo eiusdem Bibliothecae Praefecto Caietano Marinio invenerim in duabus autographis Borgiani Epistolis, qui fuerat Ciceroniani nummi venditor. Extant in Codice Vatic. n. 4105 pag. 330, et 333. In prima, quae scripta fuit exeunte mense Ianuario anni 1598, promittit Borgianus, ut ipsius verba referam: *di trattar l'affare fide boni viri*,

facta cautione di mantenere la medaglia per antica, e di uno dei perfetti lavori greci. In secunda vero post mensem Martium data, cum Fulv. Vrsinus accepto nummo dubia quaedam proposuisset, praecipue autem, quod imago ad similitudinem minime accederet gemmae, quam ipse possidebat, atque Ciceroni adscribendam censebat, ita rescribit Alexander Borgianus: de nummi antiquitate non esse dubitandum, provocatque ad iudicium Peritorum Artis, qui Romae erant, simul autem rectissime animadvertit: non ex gemma, cuius imago incerta de nummi antiquitate esse iudicandum, sed ex nummi, qui certissime antiquus, effigie, de caeteris, quae iactabantur tanquam imagines Ciceronis, sive illae in marmore sculptae, sive in Gemmis iudicium ferendum esse. Haec porro sufficere censeo ad omnem de dolo malo criminationem depellendam. Nam si revera Fulv. Vrsinus nummum pro adulterina merce habuisset, si ita ab huius Artis Peritis, qui Romae minime deerant, iudicatum fuisset, profecto ipsum Numisma, quemadmodum cautum fuerat, ad venditorem suum remisisset, nec Borgianus iure contradicere potuisset. Cum autem id minime factum fuerit, certo consequitur nummum ab Artis Peritis, quibus haec Vrbs caeteris praestat, et ab ipso Ful. Vrsino pro genuino habitum fuisse.

Et quod revera Vrsinus omnem scrupulum, omnemque dubitationem, si quam unquam habuisset, ex animo abiecerit, ex his quae insuper adnotanda duco, clarissime patebit. Nam constat eodem anno MDXCVIII, quo nummus Ciceronis Bononia Romam mense Martio allatus Vrsini Museum auxerat, cum Theodorus Dallaeus in delineandis imaginibus eius Bibliothecae totus incumberet, imaginem quoque Ciceronis delineandam a Fulvio accepisse. Singula autem monumenta eodem Vrsino inspectante, et approbante delineabantur, ut idem Dallaeus te-

statur in Epist. dedicat. ad Episcopum Spirensem. Nam inter alia haec habet: *Mihi autem*, de Fulvii Museo sermonem instituens, *externo licet homini, non modo exhibuit spectandum, sed tractare, delineare, effingere, qua est humanitate singulari, permisit hasce veterum Imagines Heroum, Imperatorum, Regum, Philosophorum, Oratorum, Poetarum, Illustrium Domi, forisque Virorum in ipsius Museo, summa fide, diligentiaque, ipso inspectante a me elaboratas. Quas Domum Roma nuper reversus, dum summa accuratione adhibita in aes incidissem etc.* Annus, quo haec gesta sunt habetur in fronte primae illius editionis, ubi haec leguntur.

Theodorus Gallaeus delineabat
Romae ex Archetypis
Incidebat Antuerpiae CIↃIↃXCIIX

Ciceronis imaginem in nummo Magnesiae expressam, iconismo vulgatam reperies pag. ultima eius Operis: quod rectissime consentit cum iis, quae superius narrata sunt de nummo a Ful. Vrsino Romae accepto mense Martio anni suprascripti MDXCVIII, quem propterea Dallaeus inter postrema eius Bibliothecae monumenta delineare potuerit, antequam Antuerpiam reverteretur, eumque cum caeteris in aes incisum vulgaret. Ex his porro quae synchrono, oculatoque teste nituntur, quis non inferat: quod si Fulvio certo non constitisset de nummi antiquitate, nunquam commissurum fuisse, ut a Dallaeo delinearetur, et in lucem cum caeteris ipsius Bibliothecae monumentis emitteretur?

Ad Iul. Caes. Velium autem, quod attinet, ex dictis patet, etiam si voluisset, nullum in eo dolum, et fraudem locum habere potuisse, statim ac Borgianus nummi possessor cautione se obstrinxerat: *di mantenere la medaglia per antica, e di un perfetto lavoro greco*. Erat Velius praeterea amicitia cum Fulvio coniunctus, a qua omnem

fraudis, et doli suspicionem aequum est propulsare, nisi certa ratione probetur. Erat denique in rebus numismaticis versatissimus, ac propterea nisi bene, recteque de nummo sensisset, tam gravis in amicum malefacti reprehensionem subire numquam voluisset. De eius vero peritia videndus liber, qui inscribitur *Felsina Literata*, ubi ipsius vita ab Adamo scripta continetur, in qua prae caeteris haec habentur: *fuisse Velium inter Antiquarios sui temporis praestantissimum, praeclarum habuisse Museum Numismatum Caesarum, Imperatorum, praeter gemmas, et antiquà Cimelia: de arte etiam Numismatica librum scripsisse, qui tamen lucem non viderit*. Idem etiam elogium reperies in libro, cui titulus *Notizie degli Scrittori Bolognesi* a Cl. Io. Fantutio Bononiae edito An. 1790, quod hic brevitatis causa omitto. Cum haec itaque ita se habeant, atque omnis plane Paciaudii criminatio evanescat de dolo malo, quo res acta fuerit a Velio, et Borgiano in Ciceroniani nummi venditione, maxime doleo, quod ea, quae ex praeiudicata magis adversus Ciceronianum nummum opinione, quam ex historiae veritate Cl. Paciaudii calamo exciderunt, et aliae quaedam nullius momenti difficultates in laud. Animad. ab eo propositae, quas suo inferius loco refutabimus, tantum valuerint apud Eruditiss. Eckhelium, etiam post detectos binos alios eiusdem Ciceronis nummos, Classensem nimirum, et Cusinerianum; ut suspensas de singulis se habere rationes professus fuerit in Famil. Tullia Tom. V D. N. V., atque ex artis nostrae regulis iisdem potius falsitatis notas inurendas censuerit, quin tamen eorum aliquem unquam inspexerit, ut ingenue ibidem fateri debuit. Ast plurimum sane intererat, ut qui de Doctrina Num. Vet. sibi scribendum sumpserat, neglectis levibus quibusdam obiectis, de quibus alibi opportunius dicemus, aliquem ex laudatis nummis suis met ocu-

lis, quod in itinere ab eo in Italiam suscepto facillime praestare potuisset, inspiciendum curasset, aut saltem ab artis nostrae fide, peritia, et exercitatione probatissimis viris certiora sibi documenta comparasset, ne Orbem litteratum de tam illusrri monumento, ac de imagine Ciceronis omni hominum generi optatissima recto suo, gravissimoque iudicio privaret. Sed progrediamur.

De nostro, sive Classensi meum utique non interponam iudicium, cum de causa propria agatur. Hanc potius Vrbem omnium praeclarissimarum artium altricem, ac veluti parentem in testem vocabo, quoniam vix invento Sartiano nummo, reque per Vrbem vulgata de Ciceronis imagine in eo detecta, omnium Ordinum homines vidisses, eosque praesertim, qui huius nobilissimae scientiae laude florebant, numisma cupide suis oculis subiicere, attente considerare, tanti viri effigiem contemplari, laudare, exsosculari, in eaque redivivam veluti M. Tullii faciem agnoscere, iucundissimoque venerandi illius oris aspectu frui. Illud autem verissime affirmare possum: ex tanto numero hominum, sive ex iis essent, qui quaestum hac in arte faciunt, sive ex illis, qui praeter exquisitam in fraudibus huius artis, sua plerumque impensa dignoscendis, peritiam adeptam, eruditione, et doctrina maxime praestabant, neminem inventum esse, qui aut malevolentia, ut assolet, ductus, vel iusta aliqua de causa, dubia, vel fraudis suspiciones de illo excitaverit. In omnium notitiam insuper venerat eum nummum in agro effodiendo, ut quotidie fere evenire solet, e terrae visceribus certissime erutum fuisse: nullam in eius venditione fraudem, et dolum intercessisse; sed eundem in foro publico harum mercium propolas inter se auctionatos fuisse, ac iure emptionis ad honestissimos, eosdemque artis huius peritissimos Fratres Maronios pervenisse, nec magno pretio, quod prohibente aerugine,

coenoque, quo obsitus erat nummus, quaedam tantum literarum vestigia conspicerentur, ex quibus communiter illum ad Familiam Hostiliam pertinere iudicatum fuerat: denique ab optimo sene Dominico Lando Luccensi, quem vulgo appellabant *il Casciarino*, non modo egregio gemmarum Sculptore, sed etiam quo nemo alius in omnibus de re numismatica fallaciis, fraudibusque dignoscendis peritior, aut exercitatior tum habebatur, summa diligentia nativa, ac nummo inhaerente detersa aerugine, integram M. Tullii Ciceronis epigraphen, eiusque imaginem apparuisse. Ex quo factum, ut ille ex animo cum Sartio, mecumque de tam eximio, praeclaroque numismate gratulatus fuerit.

Ex probatissimis autem viris, quos in testes vocare mihi ius esset, ut supra dictum est, praecipuos quosdam hic honoris causa nominare sufficiat: Iosephum nempe Card. Garampium, Edvardum Corsinium, Io. Chrysostomum Trombellium, Petrum Burghesium Sabinianensem, Io. Bapt. Vicecomitem Patrem, Io. Bapt. Bondaccam Advocatum, Alexium Recupero ex proceribus Cataniensibus, Stephanum denique Card. Borgiam. Horum profecto viget adhuc memoria, eorumque nominis fama, de plerisque sane ob praeclara imprimis ingenii sui monumenta et omnigenae eruditionis libros in lucem editos, sed omnium insuper ob studium in colligendis latinis, graecisque numismatibus, tum ob acre ipsorum iudicium, et peritiam cum exercitatione coniunctam in huiusmodi mercibus, an verae, an falsae, et suspectae sint, rectae aestimandis. Quorum propterea auctoritatem, mihique perspectum testimonium plurimi faciendum esse nemo prudens in dubium revocabit. Sed supersunt adhuc non pauci, nam illi diem suum iam obierunt, ad quos in veritatis confirmationem adhuc mihi provocare fas est. Satis sit autem ex omnibus Cl. Ennium Quirinum Viceconitem in

hac arte, et scientia omnium consensu praestantissimum nominare, de quo mihi sermo iterum habendus erit paulo inferius, ubi eiusdem auctoritate horum omnium Numismatum Ciceronis intemerata vetustas mirifice confirmabitur; tum binos alios Vicecomites Fratres in hac ipsa arte summopere exercitatos, denique, ut de caeteris sileam, Vincentium Cocchium solertiae singularis, quove nemo alius in omni fraudum genere diiudicando exercitatior. Hi singuli de nummi authentia fidem facere poterunt; a quibus etiam saepe audivi imaginem eas notas in se habere, ut nullo artificio confingi potuerit, sed necessario ab archetypis quondam formis depromptam dicendam esse.

De Cusineriano nummo, qui quarto loco inventus, breviter me expediam. Cusinerius, qui pluribus annis in Vrbe Thessalonica Consul pro Regno quondam Galliarum resederat, eoque tempore Cl. Sestinio adiutore ingentem, nobilissimamque graecorum numismatum copiam sibi comparaverat, quo neminem alium magis sagacem, severioremque, ut ita dicam, Aristarchum agnovi in ferendo iudicio de huius eruditae supellectilis bonitate, vel falsitate, cum Romam advenisset, ac saepe inter nos de rebus nostris collocuti essemus, atque a me non semel de suo Ciceroniano numismate interrogatus fuisset, respondere solebat, illud ex usu quondam attritum quidem fuisse, sed nulli prorsus dubitationi, aut exceptioni propositum esse posse. Quod idem epistolis quoque ad me datis confirmavit, postquam in Gallias, earumque Metropolim se contulisset. Sestinius vero, qui ad augendas opes tam Cimelii Ainsliani, quam Cusineriani plurimas Orientis Provincias peragravit, atque ex quotidiana exercitatione in acquirendis, deligendisque innumeris propemodum graecis Numismatibus maximam sane sibi peritiam acquirere debuit, ac reipsa comparavit, quique Ci-

ceronianum nummum Smyrnae, in cuius Diœcesi Magnesia Lydiae sita erat, a se adeptum mihi non semel testatus est: en quid de eo scribat in Praefatione Libri Lipsiae editi, cui titulus: *Descriptio Num. Vet.* pag. VI: *senza stare a dissertare sopra quei esemplari Italiani, da me non stati esaminati, dirò, che la medaglia Cusineriana non ammette alcuna falsità etc.* Habes erudite Lector, quorum fide nitatur nummus iste in ipsius Magnesiae finibus inventus, quin plura hic addere necesse sit.

Recensitis hactenus quatuor nummis binos alios modo ex insperato adiicere mihi fas est, ex quibus supremus veluti cumulus accedit ad omnem de singulis suspicionem penitus eliminandam. Nam cum rogatu meo Philippus Vicecomes praeclarissimo Fratri suo Ennio Quirino scripsisset, ut suum mihi de Cusineriano numismate iudicium, plurimi utique faciendum, communicaret, nihil ille quidem certi de ipso nummo respondere potuit, quod Cusinerii Mumophylacium Tergeste adhuc maneret: in nummi tamen, eiusque Domini laudem haec affirmare non dubitavit: *credo però la medaglia autentica, ed indubitata, perchè Mr. Cousinery, che io conosco personalmente, ha una prattica vasta, e sicura.* Sed ad rem nostram maxime faciunt, verba, quae paragrapho sequenti continentur, inquit enim: *posso darvi notizia che il Gabinetto della Biblioteca Imperiale di Parigi offre sotto la Città di Magnesia al Sipilo di Lidia due Medaglie perfettamente simili alla Classense, e col ritratto di Cicerone, e co'medesimi tipi ed epigrafi. Esse sono indubitate ambedue: benchè simili, son battute sotto conj diversi, e tutte due per riguardo alla testa di miglior maniera che la Classense: per altro le loro epigrafi al diritto sono in gran parte cancellate: in una non si vede ben chiaro che il prenome, in un altra le sole ultime*

lettere . . . ΡΩΝ *del cognome sono abbastanza chiare*. Ex integro haec exscribenda duxi, ut pateat non modo ob scribentis auctoritatem, sed etiam ex ipsis nummis rem plane in tuto positam iudicandam. Quod enim huiusmodi nummi ex diversis typariis formis prodierint: quod tanta insuper ex vetustate detrimenta acceperint, necessario consequitur eos non ab alio fonte, quam ex monetariis olim Magnesiae Officinis prodiisse. Quaedam in eadem epistola subsequuntur de obiectis Eckhelii, quae opportunius alibi commemorabimus. Atque illud tandem hoc loco praevidere posse video: de singulis hisce nummis eventurum esse, quod olim Rigordiano Herodis Antipae evenerat. Nam primus ille, qui inventus, quamvis ab eruditissimo Norisio illustratus, ab eodem tamen, et ab aliis etiam pro suspecto habitus fuerat; postquam vero alter a Pellerinio editus fuit, tertius a me ipso, quos fuse illustratos invenies in lib. de Vulg. Aerae Emend., omnis penitus de illis suspicio evanuit, suum denique calculum adiiciente Eckhelio, qui de quarto oculatus testis esse potuit, eumque in Museum Caesareum inferre, ut testatur Doctr. N. V. T. III. p. 487.

CAPUT II.

Argumenta proferuntur ex ipso Numismate Ciceroniano deprompta, quae eius γνησιότητα *mirum in modum declarant, atque confirmant.*

Superiori capite eas attulimus probationes, quae auctoritate, et peritia clariss. Virorum maxime nituntur, quaeque, ut ego quidem sentio, vel solae sufficerent ad omnem controversiam dirimendam, si cum eo tantum hominum genere agendum esset, qui exercitatione, et scientia artis Numismaticae praestant, suosque etiam met

oculos in hoc iudicio ferendo testes adhibere possunt; quoniam plerique ex laudatis nummis adhuc supersunt, et in memoratis supra Cimeliis asservantur. Verum cum hi numero pauci sint, caeteri vero etiam doctrina, et eruditionis laude florentes minus aequi iudices ex se ipsis esse possint; plurimum autem in hominum mentibus valeat de quacunque re praeiudicata opinio, interesse puto ad eandem penitus ex animis depellendam, ut alia argumentorum genera hoc capite ex ipso veluti fonte petita in medium afferam. Itaque Numisma ipsum, et singulas eius partes attente consideremus: primo imaginem: utramque deinde epigraphen: tandem aversae partis symbola, ut id quod propositum est assequamur.

De imagine praemittendum merito in sua Epistola paulo ante allata Enn. Quirinum Vicecomitem notasse bina Bibliothecae Parisiensis Numismata: *essere tutte due per riguardo alla testa di miglior maniera, che la Classense*. Neque enim silentio praetereundum Classensem nummum olim a Cl. Amadutio furtim editum fuisse, nec etiam emendato σφάλματι in nomine Theodori, ex typariis formis, quas ipse repudiaveram, quod nihil haberent, quod praestantissimi Oratoris lineamenta referret. Hinc minime mirum, si Classensis nummi exemplum editum a duobus, qui sunt Parisiis disentire visum fuerit. Sed hanc modo, quam in schemate pag. 11 exhibemus imaginem summa diligentia ab egregio, optimaeque spei Adolescente perfectam, qui dum haec scriberem annum agens XVII de praestantia in delineandis Figuris primos honores in Capitolio unanimi Iudicum suffragio publice consecutus est, cuius propterea delineatam, insculptamque effigiem, aliis pluribus repudiatis, quae mihi minus satisfaciebant, anteponendam duxi, quamque Peritorum etiam iudicio, qui Romae sunt, approbatam, spero fore, ut cum Archetypis Parisiensibus consentiat. Quod si

ea numismata de graeco utique artificio quid excellentius in se contineant, novum ex hoc ipso, invictumque nascetur argumentum de authentia singulorum.

Quo ad effigiem igitur in nummo expressam attinet, de ea non melius diiudicare fas erit, quam si antea referamus quid optimi auctores, idemque Cicero de sui corporis habitudine, atque oris lineamentis scriptum reliquerint. Plutarchus in ipsius Ciceronis vita, ubi sub finem inter eum, et Demosthenem comparationem instituit, haec habet verba: *Demosthenis ori perpetua inerat sedulitas, nec temere vultuosum illum, et tetricum deponebat: videtur autem natura Cicero salsus, et facetus fuisse; vultus eius quoque risum, et hilaritatem praeferebat*. Idem Tullius lib. IX Epist. ad Famil. Epist. XI ad Dolabellam de se ipso sic habet: *sed tamen hilaritas illa nostra, et suavitas, quae te praeter caeteros delectabat erepta mihi omnis est*. Scribebat eo tempore Cicero, quo Tulliae filiae suae casu gravissime affligtabatur, et in Republica insuper omnia unius Caesaris dominatu tenebantur. Lib. pariter VII Epist. I ad M. Marium data similia scribit: *Quod si Romae fuisses*, inquit, *tamen neque nos lepore tuo, neque te (si qui est in me) meo frui liceret*. Notissima res est Ciceronem salibus plurimum, et facetiis abundasse, quibus etiam suas Orationes quandoque respersit cum magno causae emolumento. Hinc Plutarchus plures ex huiusmodi salibus recenset, additque: *urbanitatem in facetiis eius, et salibus forensem visam esse, et lepidam*. De eius vero corporis habitudine haec ab eodem Cicerone, itemque a Plutarcho in eius vita scripta habentur. Cum esset annorum XXVIII, et causam publicam pro Sex. Roscio in foro egisset, tum Syllae metu, cum valetudinis causa in Asiam profectus est. *Erat*, inquit in Bruto sub finem, *eo tempore in nobis summa gracilitas, et infirmitas corporis: procerum, et tenue*

D

collum, *qui habitus*, *et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo*, *si accedit labor*, *et laterum magna contentio*. Recepit se biennio post non modo Orationibus exercitatior, sed etiam valetudine paululum confirmata. Nam ut ibidem paulo inferius subdit: *et lateribus vires*, *et corpori mediocris habitus accesserat*. Gracilitatem autem corporis in eo semper perseverasse, quae tamen cum bona valetudine iungeretur, quamque dum in aliis laudat lib. de Cl. Orat. §. 64, in se ipso commendare videtur, dum ait: *valetudo modo bona sit*, *tenuitas ipsa delectat*, nec unquam illum habitu pingui, et obeso fuisse, ut nonnulli suspicantur, satis idonea argumenta minime desunt, quae id suadeant. Plutarchus enim cum eius in Graeciam profectionem, reditumque in Vrbem narrasset, ita subdit. *Et profecto erat corpore gracili*, *atque macilento*, graece ἦν ὄντως ἰσχνὸς, ϗ ἄσαρκος, quod exprimit *corpus gracile*, *et exsuccum*, *et propter stomachi infirmitatem modicum*, *et exiguum cibi vix admodum sero capiebat*. Idque confirmat idem Auctor de tempore, quo post reditum suum e Graecia diu multumque iam in foro ad causas dicendas versatus esset, caeterisque Oratoribus palmam eripuisset. Sequitur enim: *Haud temere ante occasum solis accumbebat*, *non tam districtus occupationibus*, *quam valetudinis causa ob stomachi imbecillitatem*... *ad hunc modum serviens habitui*, *validum eum*, *et firmum ad multas*, *et graves contentiones*, *laboresque conservavit*. Itaque ut habitum corporis conservaret Tullius, quem a natura gracilem acceperat, et imbecillitati stomachi consuleret, eum vitae tenorem in medio honorum cursu, et forensium concertationum spatio tenuit. Patrem sortitus fuerat aegrae valetudinis, quemadmodum ipse commemorat initio libri II de Legibus, ubi de Villa Patris sui disserens non longe ab Ar-

pino Municipio posita, quae Fibreno flumini adiacebat, de quo Silius Lib. VIII

Atqui Fibreno miscentem flumina Lirim.

et in qua eos sermones habitos fingit: *Quid plura?* inquit: *hanc vides villam, ut nunc quidem est lautius aedificatam Patris nostri studio; qui cum esset infirma valetudine hic fere aetatem egit in literis.* In eadem vero villa se ortum esse, eiusque germanum Fratrem subiungit ibidem, *stirpe antiquissima: hic sacra: hic genus: hic maiorum multa vestigia.* Non mirum itaque si ab infirmo Patre gracilem corporis habitum nactus Cicero, eundem cura, et diligentia tueri opus haberet. Quod praeterea extiterit semper corpore gracili, et exsucco, ut habet Plutarchus, ex eo infertur, quod etiam in ultima aetate ambulationes, et itinera quandoque pedibus ad multa stadia susceperit, quae a pingui corpore senescente praesertim vix sustineri posse videntur. Mitto quae habet Plutarchus de Cicerone in exilium abeunte, de quo narrat Lucaniam pedestri itinere percurisse, Siciliam quam primum tenere cupientem. Sed non omittenda quae idem Auctor subiungit, narrans in eius vita, Iulio Caesare ex Egypto, et Asia post Pharnacem Regem in Ponto superatum redeunte in Italiam, ac terrestri itinere Brundusium progrediente, Ciceronem eidem occurrisse, Caesaremque ad pedes digressum salutasse eum, multorumque viam stadiorum cum solo sermocinantem processisse. Annum agebat tunc Cicero sexagesimum. Natus enim erat a. d. III Nonas Ianuarii Q. Servilio Caepione, C. Atilio Serrano Consulibus, qui signant annum V. C. Varr. DCXLVIII, quem diem Natalem suum non semel memorat idem Cicero in suis epistolis. Victoria de Pharnace Rege contigit ineunte aestate Ann. V. C. Varr. DCCVII, ab eaque celeriter, ac felicissime confecta Romam revertebatur Iul. Caesar Dictator

incumbente Autumno eiusdem anni. Vide lib. n. de Vulg. Ærae Emend. p. 226. Tandem extremo vitae suae tempore cum a Triumviris proscriptus fugam arripuisset, et ad Circeios usque navigio devectus fuisset, quod eum fortasse, et vitae, et fugae taedium cepisset, atque in patria saepe servata mori decrevisset, ipsum egressum e navi, idem Auctor Plutarchus narrat, et quasi Vrbem peteret, progressum esse pedestri itinere duodecim millia quingentos passus; moxque inopia consilii fluctuantem, et mutata sententia ad mare iterum descendisse. Graecus textus habet ϗ παρῆλθε πεζῇ ϛαδίους ἑκατὸν, ὡς εἰς Ρῶμην πορευόμενος. Adverbium πεζῇ tam pedibus incedere, quam de quocunque terrestri itinere designando adhiberi solet. Sed eo loci de itiuire pedibus suscepto explicandum plane videtur. Nam nuntiata proscriptione Cicero, ut paulo supra apud eundem Plutarch. legitur, lectica statim delatus fuit ad villam suam maritimam Astyrae, ubi navigium nactus, illico conscendit in Macedoniam ad Brutum transmissurus, ac secundo vento provectus est usque Circeios. Ibi subdit Plutarchus: *parantibus inde Gubernatoribus extemplo vela facere*, Cicero repente de Navi egredi voluit, illudque iter Romam versus πεζῇ suscepit, de quo paulo ante. Itaque dicendum illud pedibus suscepisse. Nam cum Astyrae navigium conscenderat, non amplius terram attingere sibi propositum fuerat, sed maritimo itinere recta ad Brutum proficisci, ac propterea lecticam, et lecticarios Astyrae reliquisse manifestum est. Quae hactenus igitur commemorata sunt, clare, ni fallor, ostendunt in Cicerone habitum eius corporis, quantum exercitationibus, et victus parsimonia validum redditum, tantum etiam in omni aetate ab obesitate, et pinguedine abfuisse.

Ad haec minime praetermittendum Ciceronem usque ad supremum vitae suae tempus omni calvitii deformitate

caruisse, quod maxime notandum ad rectum de eius imaginibus iudicium ferendum. Id hactenus minime animadversum, sed clare, ut reor, eruitur ex Oratione Q. Fufii Caleni, quam habuit in Senatu adversus ipsius Philippicam secundam in Antonium apud Dionem lib. XLVI. Inter caetera enim, quibus Ciceronem tanquam effeminatum, et mollem traducere studet, duo haec recenset: *quod tenues laenulas gestaret*, et: *quod canos suos capillos pectinibus comptos odore perfunderet*. Vbi animadvertas velim cum Q. Fufius Calenus in ea oratione nihil praetermittat, quod in Ciceronis contumeliam verti posset; nam paulo ante dixerat, vestem ab eo usque ad talos dependentem trahi, ut crurum suorum turpitudinem absconderet, et alia id genus multa commemoret, quae in eius crimen vocantur, nihil de calvitio mentionem facere, quod sane argumento esse debet ea capitis deformitate, illo etiam supremo vitae suae tempore, caruisse. *Ex omnibus*, ut testatur Svet. in Iul. Caesaris Dictat. vita §. XLV, *ille a Senatu, Populoque decretis honoribus, non aliud, aut recepit, aut usurpavit libentius, quam ius laureae perpetuo gestandae. Nam*, ut ibidem paulo ante scribit: *Calvitii deformitatem iniquissime ferebat saepe obtrectatorum iocis obnoxiam*. Vnde in Gallico triumpho eius milites ioculariter currum prosequentes canebant: *Moechum calvum adducimus etc.* Ex quibus profecto patet quantum apud Romanos calvitium, quod certe de venustate, et decore plurimum detrahit, esset reprehensioni, et infamiae obnoxium. Quod propterea Fufius Calenus Ciceroni infensus, quique in ea oratione tantas illi contumeliae notas inurit, quemadmodum apud Dionem videre est, hoc quoque reprehensionis genus intactum minime reliquisset.

Quibus praemissis, si modo imaginem in numismate insculptam attentius contemplemur, singula quae hacte-

nus descripta sunt eidem mirifice convenire inveniemus. Procerum imprimis, et tenue collum, ut de se ipso describit Ciceio, iu vultu gracilitatem quandam, quae tamen ipsa delectet, praesertim cui oris, atque aspectus non obscura quaedam sese offert adiuncta hilaritas; tonsos denique ex romano more capillos, apte tamen, et decenter compositos, ut in nummis Iul. Caesaris, M. Antonii M. Lepidi, caeterorumque eius aetatis cernimus. Seneca suasoria VI scribit ab Asinio Pollione, faciem Ciceronis commendari consuevisse his verbis: *Facies decora ad senectutem*. Quo vel maxime ostenditur decoram etiam existere debuisse in florenti aetate, qualem ex lineamentis Ciceronem in Numismate expressum fuisse satis clare apparet. Nec iniuria affirmare fas est eam imaginem depromptam fuisse ex aliquo signo, quod Asia minor eidem erexerat, quo tempore Quinto Fratri Praetori aliud ingentibus lineamentis pariter dedicaverat, ob maxima beneficia a Marco Fratre praesertim accepta, de quibus suo loco inferius erit dicendi locus. Haec autem evenisse constat eo triennio, quo Quintus Frater illi Provinciae praeerat. Asiam Provinciam sortitus fuerat Quintus biennio post consulatum M. Fratris; ea decesserat vix uno mense postquam Marcus Fr. ob legem Clodiam Vrbe cesserat, et in exilium sponte profectus fuerat, quod contigit mense Martio anni V. C. Varr. DCXCVI Pisone, et Gabinio Consulibus, ut ex ipsius Ciceronis epistolis fit manifestum. Ex quo sequitur M. Tullium aetatis suae annum egisse XLVI Quinto Fratre in Provinciam abeunte; eodem vero decedente XLIX inchoatum numerasse, ac propterea signa, et imagines in provincia Asiae minoris M. Tullio erectas in ea vigentis aevi aetate, quam requirit aetas annorum XLVI ad XLIX, et in eadem expressum fuisse in Magnetum numismate, de quo sermo est. Haec porro singula, quae de effigie Cice-

ronis probata sunt iudicium confirmant Artis nostrae Peritorum, qui Romae sunt, quique, ut supra innuimus, pro certo habent, imaginem in nummo insculptam ex archetypis quondam formis depromptam fuisse, nec praestantis cuiuslibet artificis ingenio confingi potuisse. Haec insuper probant non immerito a Cl. Gronovio pronunciatum fuisse Antiq. Graec. Vol. VIII *sibi videri hunc nummum* (de eo Fulvii Vrsini loquitur) *quam maxime ad vivum repraesentare ipsum faciei, et aetatis costantis florem .... in qua se excellenter mihi offert ille acer, et defixus aspectus, quem lib. III. ad Herennium cap. XV postulat, quamque mox acrimoniam, cui tamen pudor iungatur, appellat*. Haec denique, si modo ratiocinari vellem, meo quidem iudicio, aptissima essent ad omnem falsitatis suspicionem a Magnesiano Ciceronis nummo removendam. Verum id multo luculentius praestabimus postquam de utraque nummi epigraphe, eiusque symbolis dictum erit.

Capitis epigraphe sic se habet ΜΑΡΚΟΣ ΤΥΛΛΙΟΣ ΚΙΚΕΡΩΝ. Integre scribitur praenomen ΜΑΡΚΟΣ usitato, familiarique Graecorum more tam in marmoreis inscriptionibus, quam in iis Numismatum. Habes in Nummo Nicaeorum cum capite Iulii Caesaris ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ, singula nimirum verba, non modo praenomen integre scripta. Habes praeterea alia plura similia exempla primis praesertim imperii Romani temporibus, quibus Numisma Ciceronis a Magnetibus editum fuisse suo loco probabimus, quaeque integram praenominis lectionem suprascriptam confirmant. En Numismata, in quibus scriptum reperies ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ, ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ, ΓΑΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, ΛΕΥΚΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, ΤΙΒΕΡΙΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ, ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ, ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ. Atque ex his numisma-

tibus aliqua sunt, quae ad eosdem Magnetes Lydiae spectant, a quibus editus Ciceronianus nummus. Quo ad exempla ex lapidum monumentis, consulenda praecipue Marmora Oxoniensia, et Muratorii Thesaurus. Apud Muratorium intra x paginas graecum praenomen ΜΑΡΚΟΣ quinquies nulla omissa litera inscriptum reperio in totidem titulis a pag. DLIII ad DLXII. In Appendice autem ad Marmora Oxoniensia idem praenomen ΜΆΡΚΟΣ semel iterum, et tertio occurrit pag. 293 num. XI, itemque pag. 298 num. XIX. Exempla a Latinis petere necesse non est cum de Graecorum more inquiramus, sed si lubet, adi Horatium lib. 2 Sat. V versu 32, et Persium Sat. V ver. 76, et seq. Nulla itaque querela de praenomine integre scripto excitari potest; quin immo ex dictis patet eandem vocem integre usurpatam iis maxime temporibus congruere, quibus editum a Magnetibus nummum suo loco constabit.

Quae sequitur vox ΤΥΛΛΙΟΣ per lit. V optime scripta, et Ciceronis aetati, eique, quae proxime successit maxime convenire dicenda est. Haec litera enim Graecorum respondet quintae latinorum vocali, teste eodem Cicerone, qui in libro, qui inscribitur Orator: *sic*, inquit, *Purrum semper Ennius, nunquam Pyrrhum scripsit. Vi patefecerunt Fruges, non Phryges ipsius antiqui declarant libri. Nec enim graecam literam adhibebant; nunc autem etiam duas, et quum Phrygum, et cum Phrygibus dicendum esset; absurdum erat aut tantum barbaris casibus Graecam literam adhibere, aut recto casu solum graece loqui: tamen et Phryges, et Pyrrhum aurium causa dicimus.* Velius etiam Longus de Orthographia scribens ait Verrio Flacco, qui sub Augusto floruit, fuitque Praeceptor Caii, et Lucii Caesarum, videri apud Latinos literam V eandem esse, quae apud Graecos Y, ab eoque huiusmodi exempla proferri: In-

quit enim: *quod illi κύμινον, Nos Cuminum, quam illi κυπάρισσον, Nos Cupressum, quem illi κυβερνήτην, Nos Gubernatorem etc.* Vides ergo quae fuerit quintae vocalis Latinorum scribendi forma apud Graecos usque ad Verrii Flacci, sive ad Augusti aetatem. Eadem exempla etiam occurrunt in Lapidum Inscriptionibus, et nummis, in quibus tam illustrium Virorum, quam Magistratuum nomina per simplex V, non autem OV saepe inscribuntur, nominatim vero in autonomis Temenothyrae eiusdem Lydiae, etiam in iis, qui ad posteriorem aetatem referendi. De quibus hic plura subiicere omitto, ne in re tam explorata diutius, quam par est immorari velle videar.

De voce Ciceronis nihil attinet dicere. Cum enim in monumentis omnis generis, ut sunt Psephismata, Elogia virorum illustrium, numismata cum Magistratuum nominibus, itemque apud Scriptores praenomen, et Familiae nomen persaepe omittatur, nunquam vero, aut fere nunquam cognomen omitti solet. Idque de Cicerone non modo factum reperies in eius libris, et Epist. ad Famil., in quibus legitur M. Lepidus Ciceroni, Asinius Pollio Ciceroni, Ser. Galba Ciceroni, Plancus Imp. Ciceroni, M. Coelius M. T. Ciceroni, D. Brutus Ciceroni, Brutus Imp. Ciceroni, C. Cassius Ciceroni, et alia sexcenta his similia, nec ibidem aliter unquam; sed idipsum praeterea apud omnes passim Auctores, qui de eo scripserunt. Dum enim Ciceronis nomen occurrit, statim Romanae eloquentiae Parentem intelligimus, ut in illo versu Iuvenalis:

Roma Patrem Patriae Ciceronem libera dixit.

At vero cum in quibusdam denariis legis M. TVLLI, haeres profecto ad quem potius eundem referas: utrum ad Deculam, an ad Longum, aut ad Cymbrum etc. plures enim erant Tulliae gentis Familiae, et diversa co-

gnomina, et adhuc revera in incerto maneret, cui nam esset tribuendus Cistophorus ille, in quo legitur M. TVLL. IMP. ΛΑΒΑΣ ΠΥΡΡΟΥ ΛΑΟ, a Seguino erudito Commentario illustratus, nisi plura adessent argumenta a proconsulatu Ciceronis nostri petita, ab eius victoria parta, ob quam ab exercitu ad Cybistra Tauri Montis, IMPERATOR appellatus fuerat, ab Vrbe denique Laodicea, quae erat una ex Dioecesibus Provinciae suae, in qua conventum egerat, quae ipsi nummum vindicarent. Idem pariter dicendum de altero Cistophoro a Trallibus eidem Ciceroni Proconsuli signato, de quo in fine huius primae partis sermo erit. In eo autem desideratur etiam praenomen M. In caeteris vero Cistophoris, qui hactenus innotescunt huius generis, legitur P. LENTVLVS P. F. IMP, AP. PVLCHER. AP. F. PRO COS, C. FAN. PONT. PR, Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. IMPER, M. ANTONIVS IMP etc. In his omnibus, ut vides, propria Corneliae, Claudiae, Ceciliae Familiae nomina reticentur, exceptis Fannii, et Antonii III VIRI, quod nullum eis esset cognomen. Merito itaque qui nummum Magnesianum edendum curavit disertissimi Oratoris cognomen omittendum minime duxit, nec omittere sane debebat, quo praecipue Cicero a caeteris Tulliae Gentis distinguebatur, eratque toto orbe celeberrimum. Quae cum ita sint mirari equidem subit Cl. Io. Bottario viro sane erudito in Commentariis ad Simulacra, et Statuas Capitolinas T. I. pag. 42 titulo LXXXII, signum, de quo fert opinio, quod Ciceroni sit tribuendum illustranti, haec excidere potuisse de nummo Fulvii Vrsini: *Inscriptio erat*: ΜΑΡΚΟΣ ΤΥΛΛΙΟΣ ΚΙΚΕΡΩΝ, *quae valde suspecta est, praesertim ob postremum nomen*. Tam facile accidit hominibus etiam in iudicando solertissimis, si praeiudicatam aliquam opinionem ex inveterato quodam, et vago rumore imbiberint, ut ea quoque sibi improbanda videantur, quae rectissime se

habent, ac nulli exceptioni proposita esse possunt. Egregius vir ibidem semel, et iterum affirmat nummum Fulvii Vrsini esse, semperque futurum suspectae fidei, nullamque praeter allatam innuit rationem, ob quam nummus ille suspicione laboret. Non diffitetur tamen ob merita verisimile esse, quod etiam Ciceroni imaginis honor in nummis habitus fuerit, sed ex hoc non sequi, subdit, nummum Vrsini pro genuino habendum esse. Qui sane cum ita iudicat mecum profecto consentit nummum Ciceroni a Magnetibus dicatum fuisse, quamvis aliqui sint fortasse, qui ex genuino, et vetusto conficti fuerint.

Ad epigraphen aversae partis modo gradum faciamus. Ita se habet ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ; et in area inter quatuor symbola e manu erumpentia nomen Magistratus ΘΕΟΔΩΡΟϹ. De voce ΜΑΓΝΗΤΩΝ nulla esse potest quaestio. Erat Vrbs Lydiae illustris, opibus monetariis abundans, ut ex magna nummorum copia fit manifestum, tum eorum, qui autonomi appellantur, tum Imperialium ab Augusto ad Gallienum usque, ut videre est apud Vaillantium, et apud Pellerinium praesertim, et Sestinium in lib. Descrip. N. Vet. Ex quorum etiam nummis patet eam Vrbem signa, et statuas dicasse Augusto, eiusque Familiae ad Caligulam usque, et Agrippinam sen, ut in secunda parte suo loco demonstraturi sumus. Inscribitur autem ΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ, ut distingueretur a duabus aliis eiusdem nominis, Thessaliae una, Ioniae altera, quae passim ad Meandrum vocabatur, etiam in nummis, vel ipso nomine, vel eius fluminis indicio, et signo, quo illius multiplices flexus designantur.

Sistendum autem hic parumper in ea praepositione ΑΠΟ, quae me quidem Iudice, etiamsi alia deessent argumenta, vel sola aptissima esset ad omnem controversiam dirimendam, et ad nummum nostrum ab omni *νοθείας* querela liberandum. Nam Fulv. Vrsini aetate, qua

Bononiensis nummus cum imagine Ciceronis primum inventus fuit, ac Romam allatus anno MDXCVIII, nullum ex nummis, aliisque monumentis exemplum peti poterat, quo de praeposltione ΑΠΟ ei numismati recte adiecta constaret. Equidem in nummis tum ante, quam post Ful. Vrsini tempora vulgatis, saepe occurrunt praepositiones ΕΝ, ΕΠΙ, ΚΑΤΑ, ΠΡΟΣ, VΠΟ etc. ad locum Vrbium designandum, a quibus publica ipsarum moneta percussa fuerat. Verum de praepositione ΑΠΟ in editis cuiuscunque generis monumentis exemplum frustra requires ante annum MDCXLIV, quo primum Tristanus Sanctamantius in suis Comment. Historicis editis Parisiis eodem anno, nummum Mamaeae vulgavit cum suprascripta praeposit. ΑΠΟ ΣΙΠVΛΟV eiusdem Magnesiae Lydiae. Marmora deinde Oxoniensia edita anno MDCLXXVI quaedam alia eiusdem praepositionis offerunt exempla, tum de Vrbe Alexandrea Ægypti pag. 89. column. III, tum etiam in Appendice pag. 301 n. XXVI de nostra Magnesia his verbis:

ΤΑΤΙΑ ΗΡΩΘΕΜΙΔΟΣ ΜΑΓΝΗΤΙΣ ΑΠΟ ΣΙΠVΛΟV etc.

Recentius vero Muratorius Inscript. pag. MLXXIII de variis eiusdem nominis Vrbibus Bithyniae haec addidit: ΠΡΟVΣΑΕΙΣ

ΑΠΟ ΟΛVΜΠΟV

ΑΠΟ VΠΙΟV

ΑΠΟ ΘΑΛΑΣΣΗΣ

Eodemque fere tempore Pellerinius, qui ingentes de re Numismatica opes ex omnibus Orientis Partibus sibi advectas, ac summa cum eruditione a se illustratas in lucem cum figuris protulit medio labente saeculo elapso, non paucos descripsit, delineatosque exhibuit eiusdem Magnesiae Lydiae nummos cum allata praepositione ΑΠΟ ΣΙΠVΛΟV ab Augusto ad Domitianum. Postremo tandem Cl. Sestinius in Libro, cui titulus Descript. Num. Vet. pag. 225, et seqq. non pauca eorundem numismatum addidit incrementa. Itaque quemadmodum hac nostra

iam aetate, qua tam multa extant monumenta, imprimisque numismata eiusdem Magnesiae, quae praepositionis ΑΠΟ lectionem confirmant, simulque probant eandem in nummo quoque Ciceroniano recte positam fuisse; ita e contrario si huiusmodi monumenta, ut erat Vrsini aetate, minime innotescerent, haud equidem certo definiri posset recte ne Ciceroniano Numismati adiecta fuisset. Ac propterea ex hoc capite non iniuria de eodem suspensas saltem rationes haberemus.

Ac revera Cl. Liebius Goth. Numm. de Magnesia Lydiae sermonem instituens pag. 183 in numismate Tristani legendum potius putabat ΥΠΟ, quam ΑΠΟ, quod nullum aliud perspectum haberet simile exemplum, nec apud Vaillantium occurreret, Vrsinianum vero numisma ex pervulgata νοθείας opinione pro suspecto haberet. Etiam civis, et Amicus meus Blasius, qui graeca Peloponnesi Naniana monumenta egregio Commentario illustravit, eandem difficultatem mihi proposuerat. Sed obstupuit ille, cum tot ipsi documenta, ac praecipue nummorum exempla ostendissem ex Pellerinio in primis, a quo cum eadem semper praepositione ΑΠΟ afferuntur nummi, qui ad Augustum, eiusque Nepotes, ad Liviam coniugem, ad Tiberium, ad Germanicum, et Agrippinam spectant, eaque tempora non modo attingunt Ciceronis aetati proxima, verum etiam illa, quibus nummum Ciceroni dudum defuncto a Magnetibus dicatum fuisse probabimus.

Sed iam praestat, ut ex hactenus dictis arctius ratiocinia quaedam instituamus. Cum certum sit, si de numismatum exemplis loquamur, ad annum usque 1644, quo primum nummus Mamaeae a Tristano vulgatus; si vero de aliis monumentis ante annum 1676, quo marmora Oxoniensia prodierunt, ignotum plane fuisse, quod praepositio ΑΠΟ recte adhiberi posset ad locum Vrbis

Magnesiae designandum, ex quo factum etiam, ut eadem praepositio, ut primum innotuit, viris doctis in suspicionem venerit, ut de Liebio, et Blasio vidimus, consequens sane erit haud equidem futurum, ut ea praepositio a viris etiam eruditione praestantibus, et in Graecarum literarum scientia exercitatis, tum temporis, de quo sermo est, in usum traduceretur, si ipsi de Magnesia Lydiae aliquid scribendum suscepissent. Idque praesertim, quod neque apud veteres Scriptores quicquam inveniri posset, quod eiusdem adhibendae rationem certam, ac fundamentum afferret. Nam si Graecos consulamus, habent illi ΥΠΟ, ut Strabo, vel ΠΡΟΣ, ut Ptolemaeus: Latini vero Scriptores in exemplum adduci nequeunt, quamvis Tacitus, et Plinius habeant a Sipylo, Livius vero ab Sipylo; nam eodem Liebio teste cit. loco Iacobi Fil. Gronovius rescribendum censebat sub Sipylo; denique Cicero ad Quintum Fratrem ubi ait: *De te ab Sipylo mentio honorifica facta est*, Magnetes ipsos potius, quam locum Magnesiae indicare voluisse patet. Si ergo eo tempore, quo illius praepositionis usus ex graecis praesertim monumentis adhuc latebat, ne ipsis quidem viris doctis in mentem venire poterat, ut graece loquendo, vel scribendo ad locum, ubi sita erat Magnesia Lydiae designandum allatam praepositionem ΑΠΟ adhiberent, vel eam adhibendo id recte a se fieri posse putarent, quid corollarii loco sequatur per se patet ad omnem suspectae mercis fraudem ab huiusmodi Ciceronianis nummis, de quibus quaestio est, penitus eliminandam. Nam si fingamus unum de duobus vetustioribus huiusmodi nummis Fulv. Vrsini aetate inventis ab aliquo licet callido, et ingenioso, artifice, et in huiusmodi mercibus adulterandis quantumvis exercitato confictum fuisse, aequus quisque rerum aestimator, et Iudex facile mecum consentiet eum artificem nunquam sibi somniare potuisse, ut

eam praepositionem nummo inscriberet, quam nullo exemplo proposito eius menti occurrere poterat, quae praeterea, si de suo penu adiiciendam putasset, optime intelligeret suam mercem fraudis suspicione eo ipso infectam iri, quod omni exemplo, et teste careret. Patet itaque, si veritatem amamus, hoc argumentum ex praepositione ΑΠΟ petitum maximi ponderis habendum esse, ut non modo in literis versati, sed etiam rudes, et in rebus Numismaticis aestimandis minime exercitati sibi suadeant Ciceronianos nummos, de quibus sermo est, ab omni iusta fraudis querela immunes prorsus censendos esse.

Reliquum modo est, ut de nomine Magistratus, symbolisque eidem adiectis verba faciamus. Scribitur nomen ΘΕΟΔΩΡΟϹ per Ω, non, ut erronee legitur apud Pedrusium, et Amadutium, aliosque, per O, malo horum numismatum fato, ad suspiciones contra ipsorum authentiam augendas. Non erat Theodorus iste ex Monetariorum numero, ut falso sibi suaserat Fulv. Vrsini illustr. Imaginum Commentator; sed erat supremus Vrbis Magnesiae Magistratus, qui Stephanephorus vocabatur, cui sic electo ius erat coronae laureae perpetuo gestandae, cum qua etiam dignitate iungebatur sacerdotium Dei Solis, sive Apollinis, eiusque nomen Fastis, publicisque monumentis inscribebatur ad annum designandum. Magistratus iste quolibet anno revertente ex eorum numero eligebatur, qui essent Tutelarium Vrbis Numinum Sacerdotes: inter caeteros autem Deos, Deasque peculiari cultu prosequebantur Magnetes Legiferam Cererem, et Bacchum. Hinc Theodorum ex sacerdotio Cereris, et Bacchi, quo antea fungeretur ad Stephanephori honorem electum fuisse iusto fundamento affirmare fas est; ac propterea singula Sacerdotia, et dignitates exprimi curasse iis symbolis, quae in area nummi aversa adiecta conspi-

ciuntur, quaeque tam apte sunt disposita, atque Theodori nomen intersecant, ut per se ipsa loquantur, et quid significare velint ostendant. Sed de his ex instituto, copioseque agemus in secunda huius Dissertationis parte.

Afferenda potius hic exempla, ex quibus pateat nihil esse in sigmate lunato, quo scribitur nomen Theodori, quod in iustam reprehensionem incurrere possit, etiam si in eodem nummo reliquae voces sigmate quadrato exaratae sint. Opinio enim, quae diu viguit literas graecas Epsilon, Sigma, et Omega hac ratione scriptas Є, C, et ω Traiani aetatem non antecedere tantis iam monumentis falsa demonstratur, ut modus in iis afferendis sit adhibendus. Atque ut tempora complectar, quae Ciceroni proxima sunt, tum quibus nummus a Magnetibus signatus fuisse probabili ratione demonstrabitur, haec sunto:

Μ ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ Caput M. Antonii nudum.

ΒΑCΙΛΕΩC ΠΟΛΕΜΩΝΟC Caput Polemonis diademate ornatum. Froelich. Tab. XVI n. 5

ΚΑΙΣΑΡ Caput Aug. laureat.

ΓΛΥΚΩΝ ΙΕΡΕΥC ΗΡΑΚΛΕΩΤΩΝ Sacerdos stans ad aram. Haym. Parte II Tab. XXV n. 6

ΣΕΒΑΣΤΟΣ Caput Aug. laureat.

ΧΑΡΙΝΟC ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ Templum hexastylum. Haym. Parte II Tab. XXVI n. 4

ΤΙΒΕΡΙΟΝ CΕΒΑCΤΟΝ ΚΤΙCΤΗΝ Caput Tib. laureat.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΟ CΙΠΥΛΟΥ Genius Vrbis Magnesiae, et Imp. stantes dex. iungunt. Pell. Mel. II pag. 21

ΘΕΑΝ CΕΒΑCΤΗΝ Caput Liviae

CΥΝΚΛΗΤΟΝ ΜΑΓΝΗΤΕC ΑΠΟ C Caput Senatus Magnetum. Idem Pell. Tab. XXV n. 4

Optandum sane, ut in Catalogis omnibus diligenter adnotetur discrimen hoc literarum, ex quo facilius iudi-

cium facere liceat de tempore, quo singulae Vrbes graece loquentes serius, ocius eam, quam diximus, scribendi formam adhibere coeperint. Caeterum ne quid dicam de Vase aeneo Capitolino, quod ad Mithridatis Eupatoris aetatem est referendum, in quo etiam habes ω sic exaratum, in rem nostram sufficere possunt exempla modo allata, ut quisque sibi suadeat iam ab Augusti temporibus in more positum fuisse, ut suprascriptae literae promiscue etiam in eodem nummo, ac C praesertim in fine vocis a Graecis Vrbibus, et a Magnetibus quoque Lydiae adhiberetur.

Qua propter ut iam singula complectar, quae ex allatis hoc capite sua veluti sponte manant, et fluunt: sive imaginem in numismate ad vivum expressam attendamus, quae non nisi ab archetypis quondam formis sumi potuit, testibus non modo, qui in hac arte peritissimi habentur, sed ipsis met vultus lineamentis; sive singulas voces, apicesque consideremus utriusque inscriptionis, tam recte vetustati temporum, ipsorumque Magnetum scribendi rationi sub Augusti, quam volumus, aetate respondentes, imprimisque vero praepositionem ΑΠΟ, quae profecto ante inventum Fulv. Vrsini numisma nemini in mentem venire poterat, ut eam adhiberet, aut suspicaretur a Magnetibus aliquando adhibitam fuisse, cum eius rei exempla tanto postea detecta fuerint, ut supra probatum est: accedant denique symbola ad unius Theodori supremi Vrbis Magistratus Dignitates, et Sacerdotia designanda tam concinne disposita, ut ipsa per se loquantur, clarius vero ex inferius dicendis patebit, fatendum profecto erit omnem tam ab Vrsiniano, quam a nostro, caeterisque Ciceronianis nummis fraudis, et doli suspicionem abesse. Nam eos, qui lucri causa numismata adulterare, et confingere solent, sine aliquo exemplari ea omnia perficere non potuisse, quae in nu-

mismate nostro continentur ex dictis manifestum est. Nec quisquam sane ex huiusmodi Artificum genere praeter lauream coronam in aversa parte, lauri quoque ramum, et caetera symbola arbitratu suo adiicere ausus fuisset, aut de recta, et probabili ipsorum interpretatione sibi suadere. Quod si velis praecessisse aliquod exemplar, quo callidus Artifex vetustiori tempore usus sit, ex aequo causa nostra perorata erit. Nam si quondam extitit genuinum Magnesiae numisma cum Ciceronis imagine, negandum non erit, nostros quoque, de quibus agimus nummos, vel aliquem saltem ex iis in eodem numero habendum esse. Noster sermo de archetypo est, atque unus nobis pro omnibus satis erit, quod certam, venerandamque disertissimi Oratoris imaginem repraesentet.

CAPVT III.

De iure imaginum apud Romanos, tum de consuetudine graecarum Vrbium in erigendis signis, et statuis Heroum, clarissimorumque Virorum, ex iisque in exprimendo quandoque ipsorum vultu in publica earundem moneta: denique argumenta proferuntur, ex quibus iusta quadam de causa constare possit, quare, quove potissimum tempore ex monetaria Magnesiae Lydiae officina Ciceronis iam defuncti numisma cum eius effigie emitti potuerit.

ILlustrium Imaginum Fulvii Vrsini Commentator ad Ciceronis nummum eam illustrationem attulit, quae merito occasionem praebuisse dicenda est, ut ubique Gentium docti viri deinceps non immerito de eius authentia dubitasse visi sint, iique praesertim, qui iudicandi peritia carerent, vel si ea praestarent, illum suis oculis subiicere, et in examen revocare neglexerint. Sive enim symbola

ab eo explicata, sive nomen Theodori, ut paulo ante innuimus, de monetario Artifice acceptum, sive demum tempus ab eo definitum, quo nummus ille signatus asseritur, attendenda essent, nec aliter constare posset, nummus ipse profecto tanquam spurius repudiandus foret. Statuit ille praeclarum M. Tullii Ciceronis numisma signatum fuisse quando eius Frater Quintus Asiam Propraetor per triennium administraverat, quo nihil magis a legibus romanis, atque etiam a Graecarum Vrbium moribus, et consuetudine alienum affirmari potest. Itaque e re nostra ducimus hoc capite: primo de iure Imaginum apud Romanos verba facere, tum de consuetudine apud Graecas Vrbes, demum de tempore inquirere, quo iusta, probabilique ratione statui possit Numisma, de quo agimus, a Magnetibus in memoriam tanti Viri iam defuncti signatum fuisse.

Atque ut a primo exordiar: stante Republica Romana certum est quotquot ad Curules Magistratus in ea Populi suffragiis eligebantur imaginem sui ponere, eamque posteris tradere potuisse. *Ego me*, inquit Cicero Verr. V, *ob aedilitatem mihi delatam adeptum esse intelligo antiquiorem in Senatu sententiae dicendae locum, Togam praetextam, Sellam curulem, ius imaginis ad memoriam, posteritatemque prodendam*. Et in Orat. II pro lege Agraria Cives alloquens: *Est hoc in more positum, ut ii, qui beneficio vestro imagines Familiae suae consecuti sunt, eam primam habeant Concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude coniungant*. Imagines huiusmodi aut e cera, aut ex aere, et marmore effictae in atriis collocabantur ad Familiae decus, et ad virtutis incitamentum. *Obrepsisti*, ait Cicero in Pisonem, eius vitia festivissime persequens, *ad honorem errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile nihil*

habes, praeter colorem. In funere etiam praeferri solebant, quae, quo numero plures, eo maiorem Domus splendorem designabant. Quanquam autem multa essent imaginum genera, quae sibi Cives Romani Familia, et dignitatibus illustres ponere poterant, vetitum tamen ipsis erat eandem in nummis insculpere. *Minores Magistratus*, sic habet Cicero de Legib. III, et ex XII Tab. *aes, argentum, aurum publice signanto*. Pecuniae itaque signatae fidem conciliare debebat publica, non privata cuiuspiam auctoritas. Ex quo sequitur nec eorum, qui Monetariae Officinae praeerant, neque Consulum, aliorumque Magistratuum imagines, et vultus exprimi potuisse. Si enim id factum fuisset, non Senatus, Populique R., sed illorum auctoritate moneta signata visa esset. Ex quo vero feriundae pecuniae omnis potestas ad Imperatores translata fuit, eorum vultus, et nomen exhiberi coepit, ut indicio essent, a quibus certa, et perpetua illius aestimatio, et auctoritas proficisceretur. Ad rem inquit Cassiodorus Variar. VI. 7. *Ut imago Principis subiectos videretur pascere per commercium*. Inter ea, quae Senatus Iulio Caesari decreverat post devictum Pompeium, caeterosque, qui ab illius partibus steterant, recensetur etiam a Dione lib. XLIII: *ut solus publicam pecuniam curaret*. Clarius vero apud Zonaram Annal. X cap. XII Πατέρα τε αὐτὸν τῆς πατρίδος ὀνομάζεσθαι, ϗ ἐς τὸ νόμισμα ἐγχαράττεσθαι: *ut Pater Patriae appellaretur, et ut eius imago in nummis insculperetur*. Nullos profecto non honores etiam supra humanum fastigium tum Caesari Dictatori a Senatu delatos fuisse omnibus constat. Si autem in potestate fuisset illustrium saltem Civium suam in numismate, atque in publica pecunia imaginem exprimere, sculpere, quid opus erat, ut Senatus eam tum facultatem Iulio Caesari conferret, idque honoris causa peculiari decreto declararet? Atque ab eo tempore mos,

et facultas signandae imaginis in publica pecunia inter principatus arcana locum habere coepit; adeo ut Romae primis temporibus, et sub Augusto, et sub Tib. Claudio, nec Principibus Feminis, ut Liviae, ut Agrippinae seniori, ut Messalinae, id honoris concessum fuerit, et deinceps etiam Septimius Severus Clodio Albino licet Caesari, singularis privilegii loco id permiserit, ac denique inter praecipua, et regalia ornamenta, quibus Constantinus M. Helenam matrem decoraverat, hoc quoque recenseat Eusebius de Vita Constant. lib. III Cap. XLVII: οὕτω δὲ ἀξιώματι Βασιλικῷ τετιμηκότα, ὡς ἐν ἅπασιν ἔθνεσι. παρ' αὐτοῖς τε τοῖς στρατιωτικοῖς τάγμασιν, Αὐγοῦσταν Βασιλίδα ἀναγορεύεσθαι, χρυσοῖς τε νομίσμασι, καὶ τῆς αὐτῆς ἐκτυποῦσθαι εἰκόνα. *Regalibus autem honoribus ita eandem ornavit, ut in omnibus Provinciis tum a Paganis, tum a Militibus Augusta, et Imperatrix nuncuparetur, et aurei nummi eius imagine signarentur.*

Quod autem stante Republica Romana vultus eorum, qui viverent minime imprimerentur, manifeste ostenditur ex nummis ipsis Consularibus. In iis enim vivam quidem, et expressam, ut ita dicam, Reipublicae imaginem cernere licet, praeclara ornamenta, domi forisque parta, Numina, quae colebantur, Templa ipsis consecrata, ludos, leges, Magistratus, eorumque insignia, bella, victorias, triumphos, tot denique clarissimarum nomina Familiarum, quibus decus omne tantae Reipublicae continetur. At vero nullam in iis imaginem reperies, quae cuiquam ex tot praestantissimis Civibus impressa fuerit, dum viveret, quamvis consilio, aut armis Patriam servasset, iuvisset, ac devictis Gentibus imperio, ac gloria quoque plurimum auxisset. Ærei enim nummi, quae fuit prima, et antiquior Reipublicae Romanae pecunia, nullam exhibent imaginem, nisi Iani Bifrontis, Herculis, Romae, et similium; recentiores vero argen-

tei, atque aurei eorum quandoque vultum quidem referunt, qui multo ante decesserant, et Rempublicam rebus praeclare gestis ornaverant, non autem eorum, qui tum viverent, cum denarii e monetariis Officinis prodirent, etiamsi Magistratu aliquo fungerentur. Quod adeo verum est, ut neque L. Sylla quamvis Dictator, supremumque in Republica dominatum per aliquot annos gesserit, signandae pecuniae cum sua effigie ius sibi arrogaverit. Id tantum obtinuit cum eversa Republica leges inter bella civilia silerent. De hac potestate facta primum Iulio Caesari a Senatu post Pharsalicam pugnam iam diximus supra. Eo autem interfecto, tam qui Triumviros se ipsos declaraverant R. P. C., quam qui pro Republica, et libertate pugnare videbantur suas ipsorum imagines nummis exprimendas curarunt. Tunc primum Octaviani adolescentis, Lepidi, M. Antonii, eiusque Fratris Lucii effigies denariis exhiberi coeptae; tunc pariter *M. Brutus Numismati, quod faciebat*, ut scribit Dio lib. XLVII, *imaginem suam incidit*, additis etiam pugionibus, et pileo cum inscriptione EID MART, ut Patriam a se a Tyrannide liberatam fuisse designaret; tunc denique A. Postumii Albini F., Sexti Pompeii, et Q. etiam Labieni Parthici pecunia in publicum usum cum eorum imaginibus percussa, et propagata est. Eodem etiam tempore, quod fortasse nusquam alias, eorum Civium memoria in nummis renovata est, qui vel Patriae libertatem defenderant, vel rerum olim gestarum gloria Romano nomini ornamento fuerant. Tales sunt nummi Haalae, et Iunii Bruti primi Consulis, Quirini Conditoris Vrbis, T. Tatii Sabini, Anci Martii, Syllae, et Pompeii Cos, aliorumque non numero plurium. Abhinc enim decennio, et ultra, Olla argenteis denariis referta L circiter librarum pondo inventa est, ex quorum iconibus, typisque certo constabat tempore Triumviratus Thesaurum illum

sub terrae visceribus abditum fuisse, cum maxime inter Cives Romanos civilia bella exarsissent. Nam recentiores inter eos denarii ad C. Caesarem Divi Iul. Dictat. fil. equo publico a Senatu donatum, et ad Sextum Pompeium, qui suam, Fratrisque, et Cn. Patris effigiem in iis expresserat, seque dum Siciliam obtineret tanquam alterum Neptunum, et maris Dominum exhibuerat pertinebant. Ex aspera vero eius pecuniae, integerrimaque cuiusque denarii forma apparebat omnes simul vix tum ex monetariis Officinis prodiisse, cum abdito eo in loco repositi fuissent. Atqui omnes suprascriptae imagines illustrium Civium Romanorum, quas paulo ante commemoravimus in iis expressae cernebantur. Id igitur certo argumento esse debet ex XX non amplius denariis, qui Regum, Triumvirorum, aliorumque illustrium Civium vultus in universa Consularium serie repraesentant, si non omnes, plerosque saltem extremo Reipublicae, ac Triumviratus tempore aureis, argenteisque denariis privata dominantium auctoritate adiectos fuisse. Itaque ex his patet, quod etsi Magistratum aliquem Curulem in Republica gerentibus ius esset imaginis, ut Cicerone Auctore vidimus, non id tamen de ea in nummis, et pecunia publica signanda intelligendum esse, sed de alio quolibet Simulacrorum, Statuarum, signorum, imaginum genere, quorum exempla quamplurima adhuc supersunt, neque modo quo ad illustres quosque Cives Romanos, sed etiam Feminas, qua de re deinceps.

Atque haec, quae de Romanis nummorum Consularium imaginibus dicta sunt, de iis pariter, quae in pecunia publica Graecarum Vrbium sese exhibent statuenda esse video. In tanta enim Numismatum copia, et varietate, quae a Populis, Vrbibusque liberis percussa vetustati temporum superesse potuerunt, atque hactenus prodierunt, nullum reperire est illustris cuiuspiam Viri,

cuius effigies in numismate impressa fuerit, dum viveret, si Regios, atque Imperatorum Romanorum, caeterorumque, qui quomodolibet ad Principum, Regumque familias, et genus pertinerent, excipias. Plures quidem in iis occurrunt vultus, atque imagines non modo Deorum, Dearumque, quibus Graeca superstitio cultum aliquem exhibebat, sed et Conditorum Vrbium, Heroum, praestantium Ducum, aliorumque rebus gestis, et doctrinae fama Clarissimorum Virorum: verum horum omnium memoria in nummis eius generis renovata est, nunquam vero illorum vultus, et effigies dum viverent in iis expressa. Qua de re provocare minime dubito ad Catalogos, et Musea quaecunque hacteuus edita, et in quibus veterum huiusmodi deliciarum seges contineatur. Nomina quidem suorum, vel Romanorum Magistratuum inscribere consueverant, addita tamen alia qualibet effigie, vel figura. Ex perpetua autem, et constanti ipsorum praxi ne honos iste vivo cuiquam deferretur, inferas oportet apud illos aeque, ac apud Romanos id legibus cautum fuisse publicae Maiestatis, atque auctoritatis retinendae causa. Hinc audiendi non sunt, qui ad perpetuam hanc legem, moremque Graecarum Vrbium minime animadvertentes contrarium aliquando evenisse putarunt. In editione Lugd., tum Leiden. apud Batav. anni 1739 Sex. Iul. Frontini Stratagematum praemittitur numisma Smyrnaeorum, quod Editores Frontino ipsi cum eius imagine dicatum existimant, dum esset Asiae Proconsul. Sed eos in errorem abreptos fuisse certum est. Non modo enim ex dictis patet id legibus, moribusque Graecorum repugnare, verum etiam imago ipsa Herculem prodit barba rigenti conspicuum, Frontinum vero plane excludit. Eo enim tempore floruit, quo barba nequaquam alebatur, sed genae radebantur. Libros enim suos Stratagemat. absolvit sub Domitiano Principe, nec Traiani prin-

cipatum excessit, ut ex Tacito, et Plin. iun. synchronis Scriptoribus fit manifestum. De eo autem nummo plura vide in Musei nostri adnotationibus sub Vrbe Smyrna.

De aliis huiusmodi exemplis idem statuendum, eorumque opinionem ex aequo respuendam esse patet, qui ea defendant. Quod etiam ex praeclaro numismate Pompeii Magni demonstrabitur, de quo licet peculiaris ratio minime deesse potuisset, cur a Pompeiopoli Ciliciae, quam ipse tantis rebus gestis aedificaverat, ac de suo nomine appellaverat, imagine statim in sua pecunia honestaretur; tamen id minime factum constabit, sed tanto post tempore ab eius morte. Vide inferius, ubi de more Graecarum Vrbium agemus quo ad imagines, quas in sua pecunia insculptas nobis reliquerunt eorum, qui sapientiae, virtutumque laude in vita claruissent. Ex quo etiam ultimo loco sequatur necesse est non aliter sentiendum esse de imagine Ciceronis in nummo a Magnetibus Lydiae expressa, de qua modo inquirimus. Ad ea autem confirmanda, quae hactenus demonstrata sunt documentum illustre nobis suppeditat Cistophorus in honorem ipsius Ciceronis a Laodicenis percussus eo tempore, quo ipse Provinciae praeerat, in quo eius effigies desideratur, quod adhuc inter vivos ageret. De eo, alioque Trallium cum eodem nomine TVLLI erit inferius opportunior dicendi locus.

Una autem excepta pecunia publica, a qua privatorum quorumlibet viventium imagines, quamquam illi maximas res gessissent, summisque honorum gradibus fungerentur, semper abesse debuisse, ac revera abfuisse probatum est, caetera omnia simulacrorum, atque imaginum genera ipsis permissa fuisse, tum quae singuli sibi ipsis constituerent, tum quae ab aliis ponerentur tantis, tamque perspicuis monumentis constat, ut ea res ne probatione quidem indigeat. Pauca igitur ex multis exempla afferamus tam Romana, quam exterarum Gentium,

quantum ad rem, de qua agimus, sufficere queant. C. Plinius Nat. Hist. lib. XXXVII cap. II narrat in tertio Cn. Pompeii triumpho eius quoque *imaginem e margaritis*, *illam regio honore gratam*, *illius probi oris*, *venerandique per cunctas Gentes translatam fuisse*. Idem lib. VII cap. 30 refert: *quod M. Varronis in Bibliotheca*, *quae prima in Orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romae est*, *unius viventis posita imago fuerit*. Ac Viris quidem sapientiae laude praestantibus honos iste publice habebatur; sed cuicumque etiam civi Romano, qui aliquo loco esset in eundem ferme modum, qui nunc etiam obtinet, suam imaginem aut depictam, aut insculptam habere minime vetitum erat. Ovid. Trist. Lib. Eleg. 6

Effigiemque meam fulvo complexus in auro
Cara relegati, *quae potes*, *ora vides*.

Quin etiam commemorat Plinius saepe laud. lib. XXXIV cap. 6: *Catonis* in censura vociferationes: *Mulieribus Romanis in Provinciis statuas poni*; *nec tamen*, ut idem subiungit, *potuit inhibere*, *quo minus Romae quoque ponerentur*. Sed Ciceronem ipsum audiamus synchronum testem de rebus, de quibus agimus. Philippica V. M. Lepido equestrem statuam decernit in foro ponendam, quod eius opera bellum acerbissimum civile esset extinctum, et Sextus Pompeius Cnaei filius patriae fuisset restitutus, atque ab armis discessisset: *qui honos*, inquit, *mihi maximus videtur*, *non enim solum datur propter spem temporum reliquorum*, *sed pro amplissimis meritis redditur*. Oratione vero in L. Pisonem a Capuanis se met inaurata statua donatum fuisse narrat, quod patriam a coniuratione Catilinae in Consulatu suo liberasset, et cum ea Rempublicam universam servasset. En eius verba: *cuius consilio cum universam Rempublicam*, *tum illam ipsam Vrbem meminerant esse servatam*: *me inaurata statua donarant*: *a me se habere*

vitam, fortunas, liberos, arbitrabantur. Macrobius etiam lib. II Saturnalium mentionem habet imaginis Quinto Ciceroni Fratri in Asia positae his verbis. Cum M. Tullius *in ea provincia, quam Q. Frater rexerat, vidisset clypeatam imaginem eius ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipse staturae parvae) ait: Frater meus dimidius, maior est quam totus*. Festiuus sane iocus, ex quo tamen perspicuum fit Quinto Ciceroni ab Asiaticis ingentem aliquam imaginem, vel plures etiam dicatas fuisse, cum ille Praetor eam Provinciam administraret. Etiam epistola II ad eundem Q. Fratrem eius Provinciae tum Praesidem data, ipse Marcus Cicero illum rogat, ne prohiberet, quin honor statuae cuidam Q. Publiceno decretus haberetur: *Attalus*, inquit, *Iphemenus mecum egit, ut se ne impedires, quo minus, quod ad Q. Publiceni statuam decretum est, erogaretur. Quod ego te, et rogo, et admoneo, ne talis viri, tamque nostri necessarii honorem minui per te, aut impediri velis*. Et de Pomponio Attico, quo Ciceroni non carior alter, Cornelius Nepos eius vitae nitidissimus Scriptor refert: *quod absens prohibere non potuit, quin ab Atheniensibus statua poneretur, quam quamdiu praesens fuit, ne sibi dicaretur vetuerat*. Ibidem autem subiungit Nepos beneficia, quibus Atticus sibi Athenienses devinxerat.

Atque hic breviter exponere praestat quam effusa fuerit Graecarum praesertim Vrbium largitio in monumentis omnis generis decernendis, dedicandisque in grati animi significationem pro magnitudine, et numero beneficiorum, quibus ab aliquo sive cive, sive caeterarum Vrbium praesertim civium Romanorum afficerentur, quos etiam in Patronos singulae Civitates sibi deligere consueverant, ut non probabili modo, sed certo quodam argumento constare queat signa, et statuas M. Ciceroni dedicatas fuisse a plerisque Asiae Minoris Civitatibus, quas ille maximis

beneficiis affecisse certa ratione probatur. Chalcidenses T. Flaminio Consuli, qui Philippum Macedonum Regem acie vicerat, Graecasque Civitates omnes ab eius iugo liberaverat, ipsisque edicto in solemni Conventu recitato autonomiam, qua nihil Graecis optabilius, restituerat, potestatem singulis faciens suis utendi legibus, referente Plutarcho in eius vita, non modo Templum erexerant, sed etiam coelestes eidem honores habendos decreverunt, additis Divinitatis insignibus, et Sacerdotibus ad id institutis. Cicero ipse Epist. ultima lib. V ad Atticum testatur: se Ciliciae Provinciam obtinente, eo quod summa integritate, et continentia eandem administraret, *nullumque*, ut ipse habet, *teruncium sumptus factus* esset, ob eam liberalitatem, atque abstinentiam, *quibus illi*, inquit, *obstupescunt*, sibi *statuas, Fana, τέθριππα*, quadrigas nempe, *decreta fuisse*. Quamquam eadem abstinentia *nullos*, ut idem Cicero subiungit, *honores mihi, nisi verborum decerni sino; nec sum in ulla re alia molestus Civitatibus*. Etiam in Asia minori sibi Templum, monumentumque publice decretum, nec non Fratri suo, dum illi Provinciae praeesset pluribus verbis commemorat Epist. I. Lib. I. ad Quint. Fratr. In ea enim de maximis tum suis, tum Quinti Fratris in universam illam Provinciam, et singulas quasque Civitates meritis sermonem instituens Tullius, haec habet verba: *Quantum vero illud est beneficium tuum, quod iniquo, et gravi vectigali aediliciorum magnis nostris simultatibus Asiam liberasti? Enim vero si unus homo nobilis queritur palam te, quod edixeris:* NE AD LVDOS PECVNIAE DECERNERENTVR, H-S CC *sibi eripuisse: quanta tandem pecunia penderetur, si omnium nomine quicunque Romae ludos facerent, quod erat iam institutum, erogaretur?* Quid vectigalis aedilitii nomine intelligendum sit, et quanta Provinciarum, et Vrbium sociarum damno pecunia erogare-

tur non obscure iis verbis indicat Cicero. Sed ad beneficii magnitudinem clarius percipiendam, qua Tullius Asiae Minoris Civitates sibi devinxerat, paulo altius res repetenda, atque explananda.

Initio Romae Aediles Curules cum in ipso veluti honorum aditu ludos Populo edere deberent, maximosque propterea sumptus in ea re facere necesse esset, non solum ab Amicis, verum etiam ab Vrbibus, et Provinciis hospitalitatis, et clientelae iure sibi coniunctis mutuo accipere solebant, quae ad magnificentiam, et pompam ludorum, atque ornatum fori conferre possent, ut tabulas depictas, signa, statuas, et caetera id genus, quae tamen perfectis ludis suis Dominis in integrum restituebantur. En ipse Cicero testis eius rei Verrina IV his verbis: *C. Claudius, cuius aedilitatem magnificentissimam scimus fuisse, usus est hoc Cupidine tamdiu, dum forum Diis immortalibus, Populoque Romano habuit ornatum, et cum esset Hospes Heiorum, Mamertini autem Populi Patronus, ut illis benignis usus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum*. Loquitur de Cupidine Praxitelis, quem Verres cum aliis signis e sacrario Heii Mamertini furatus fuerat, Domino illum quovis pretio repetenti. Alia his similia exempla refert eadem Verrina IV sub finem; haec enim, quae attulimus, initio ab eo recensentur. Sensim tamen Provinciales ab Aedilibus, qui in dies magis, et supra quam credibile sit, in iis edendis liberales, et magnifici videri volebant, non modo plura commodato dare, sed et muneris, vel potius vectigalis loco res, et pecuniam conferre cogebantur. Tempore Asiaticae administrationis Q. Ciceronis L. Domitius Ahenobarbus Aedilis Curulis Vrsos Numidicos centum, et totidem Aethiopes Venatores in Circo dedit ad XIV Kal. Octobr. M. Pisone M. Messalla Cos, ut refert Plinius lib. VIII cap. XXXVI, et confirmat Solinus cap.

XXIX. M. vero Aemilius Scaurus tanto apparatu, et magnificentia ludos Populo exhibuit, ut id omnem fidem superare videatur. Nam ut Plinii verbis utar lib. XXXV: *Hic fecit in Aedilitate sua opus maximum, quae unquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam aeternitatis aestimatione. Theatrum hoc fuit: scena ei triplex in altitudinem* CCCLX *columnarum; ima pars scenae e marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriae: summa tabulis inauratis, columnae imae duo de quadragenum pedum; signa aerea inter columnas fuerunt tria millia numero: cavea ipsa cepit hominum* LXXX M. Addit venationem ab eo datam Pantherarum centum quinquaginta, reliquumque apparatum adeo Attalica veste, tabulis pictis, caeteroque choragio abundasse, ut in Tusculanam Villam reportatis, quae superfuerant, incensaque Villa concremaretur ad sestertium millies. Tantus itaque Aedilium luxus, et tam insana, et perdita, ut ita dicam, in ludis edendis luxuria, quantum foederatis Populis, sociisque Provinciis, a quibus omne picturarum, vestium, ferarum, et pecuniarum genus erogabatur, detrimenti afferre debuerit nemo est, qui non videat. Porro ut alia id genus exempla quamplurima recensere omittam, cum nulla Senatus P. Q. R. lege ad id tenerentur Vrbes Asiae Minoris, cui praeerat Quintus Cicero, adnitente imprimis M. Tullio Fratre, edicto proposito: ne ad ludos pecuniae decernerentur, Provinciam ab iniquo illo, ut verbo Ciceronis utar, et gravi vectigali liberavit. Qua propter tanto accepto beneficio, ut in eadem epistola immediate sequitur; *cum ad Templum, Monumentumque nostrum Civitates pecunias decrevissent: cumque id pro meis magnis meritis, et pro tuis maximis beneficiis summa sua voluntate fecissent: nominatimque lex exciperet* VT AD TEMPLVM MONVMENTVMQVE CAPERE LICERET: *tamen*, sub-

dit ibidem Tullius, *accipiendum non putavi, tum aliis de causis, tum etiam ut animo aequiore ferrent ii, quibus nec deberetur, nec liceret*. Ex quibus sane manifestum fit, quam faciles, et effusi essent Graeci in huiusmodi honoribus decernendis pro qualitate, et magnitudine beneficiorum, quibus se ornatos viderent. Simul autem in rem nostram clarissime sequitur quam utile, quam gratum Civitatibus singulis Asiae Minoris esse debuerit suprascriptum beneficium, quo easdem M. Cicero singularem in modum sibi devinxerat, ut merito non vulgares quosdam honores sibi decerni meruerit ad memoriam sui sempiternam. Sed illud etiam ex his iure sequi video: quod etiam si Cicero Templum, Monumentumque, de quibus expresse mentio erat in Provinciali decreto, recusaverit, ad querelas etiam Aedilium Romae praecavendas, opprimendasque, non propterea sequi eum quoque repudiasse statuas, simulacra, imagines, et id genus alias eius Provinciae testificationes, de quibus in decreto nihil expressum, definitumque fuerat. Quin immo aequum est iudicare singulas quasque eius Provinciae Vrbes, singulae enim beneficio affectae fuerant, certatim eidem Ciceroni signa, et imagines erexisse, quoniam ampliores pro ipsius meritis honores tribuere prohibebantur. Vidimus supra Quinto Fratri signum, sive imaginem cum ingentibus lineamentis dedicatam fuisse. Ex eadem epistola, quam hactenus in testem adhibuimus, patet insuper eiusdem Quinti Fratris virtutes consecratas fuisse, et in Deorum numero collocatas, totidem nimirum simulacris: Eidem enim commendans, *ut tertius annus ad salutem Asiae prorogatus videretur*, sic eum alloquitur: *si in promerendo, ut tibi tanti honores haberentur, quanti haud scio, an nemini, fuisti omnium diligentissimus: multo maiorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes*. *Quare*, subdit post pauca, *quoniam in istis Vr-*

bibus cum summo imperio, et potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas, et in Deorum numero collocatas vides, etc. Si igitur Q. Fratri ab Asiaticis ob eius in regenda Provincia maxima cum iustitia, atque animi moderatione, praeter ingentem imaginem, eius etiam virtutum simulacra in intimis Aedium penetralibus, atque in Deorum numero collocarunt; si de Q. Publiceno nullius famae, ac nominis homine decretum fecerant, ut pecunia erogaretur ad statuam eidem erigendam, quod ne impediretur Ciceronem ipsum Q. Fratrem rogasse paulo ante commemoravimus; si denique Capuani ipsi M. Tullio statuam inauratam erexerant, non pro aliquo peculiari a se accepto beneficio, sed pro oppressa, atque extincta Catilinae coniuratione, quod universae Reipublicae proderat, quis quaeso in dubium revocaverit in hac saltem Marco Fratri retribuenda gratia pro summis eius beneficiis, ac similiter in statuis, atque imaginibus eidem dedicandis non minus diligentes, liberalesque fuisse? Actione IV in Verrem lego Ciceronem in Curia Syracusanorum dixisse: *se minime postulare, ut quidquam contra C. Verrem decerneretur in ea Curia, in qua inauratam C. Verris statuam videret.* Si tam improbo Praesidi in ipsa Siculorum Metropoli statua posita fuerat, quae potius scelerum, quam beneficiorum monumentum videri posset: quid tandem statuendum erit de Quinto Cicerone integre, ac fideliter Provinciam administrante, imprimis vero de M. Tullio Fratre, qui omni ope, studio, ac diligentia effecerat, ut Asiaticae Civitates gravissimis annuis sumptibus levarentur? Hoc commune singulis illis Vrbibus beneficium in Civitatis quoque Magnesiae Sipylenae commodum, atque emolumentum redundabat. Atque ut de hac Civitate quaedam hic obiter innuam: eidem semper maxime curae fuerat, atque honori sibi ducebat signa, statuas, imagines Regum, atque Clarissimorum Vi-

rorum, praeter eas Deorum in foro ponere, et consecrare pro ipsorum meritis, ac pro beneficiis, quibus ab iis afficerentur, quemadmodum in secunda parte certissimis monumentis patebit. Statuas quoque, et signa in eodem foro dedicasse Augusto, Liviae, Caio, et Lucio, caeterisque Caesaris Familiae ad Agrippinam usque ex nummis constat, atque ibidem fuse demonstrabimus. Si igitur veritatem amamus, nihil eidem magis consentaneum videri potest, quam quod Magnetes Marco quoque Ciceroni in eodem foro statuam, aut signum aliquod ea occasione, qua se a tam gravi, atque annuo veluti tributo, et vectigali in perpetuum tanti viri opera liberatos viderent. Nihil etiam probabilius, quam ut idem Cicero, qui perpetuo se Graecorum amantem, sive φιλέλληνα appellare solebat, qui in ipso aditu forensis gloriae, cum se in Asiam contulisset valetudinis confirmandae causa, assiduissime fuisse cum Dionysio Magnete Rhetorum facile principe, idem ipse narrat in Bruto, quemque Magnesiae nostrae civem extitisse non immerito dixeris, quod a Strabone, alterius Vrbis Magnesiae ad Meandrum cives illustres recensente silentio praetermittatur: qui demum fratris sui causa toto eius in triennium prorogatae administrationis cursu, omni studio, labore, summisque contentionibus singularum Vrbium, suorumque civium commoda, et utilitates sibi tuendas susceperat, ab eadem Vrbe Magnesia illo ipso tempore in suum Patronum eligeretur; cuius tutelae propterea se, res, bona, fortunasque suas eadem Vrbs commendaret, eique simul omnia hospitalitatis, et clientelae iura ex familiari, ac communi ceterarum Graecarum Vrbium consuetudine conferret. Veteres quidem historiae, ac codices magna ex parte interierunt, quos si in promptu haberemus, haec fortasse perspicue magis manifesta fierent, adhuc tamen vestigia quaedam minime desunt, ex quibus argumentum fieri possit de benevolen-

tia, et grati animi sensu, quo Magnetes Lydiae erga utrumque fratrem etiam post Quinti Asiaticam Praefecturam affecti fuisse probentur. Nam Cicero ipse Epist. X ad Q. fratrem: *De te*, inquit, *ab Sipylo mentio est honorifica facta, cum te unum dicerent postulationi L. Sextii Pansae restitisse.* Haec autem ex eadem epistola, et ex immediate subsequenti, triennio post quam Provincia decesserat Quintus in Senatu acta fuisse patet. Quamquam autem divinare minime fas sit, in quo sita esset postulatio L. Sextii Pansae, cui Quintus in Magnesiae defensionem, et commodum restitisset, ex his tamen clare consequitur gratam erga Praesidem olim suum memoriam a Magnetibus adhuc servatam fuisse, ipso Marco in Senatu praesente, ac fratris sui acta defendente. Atque haec quamquam probabilibus tantum argumentis nitantur, ac certa desint monumenta, quibus confirmari queant, talia sunt tamen, ut facile quemlibet aequum, iustumque rerum aestimatorem in sui assensum trahere possint, simulque faciliorem aditum exhibere ad ea, quae in sequentibus dicenda erunt.

Restat modo, ut de illustrium Virorum, qui in laude quondam vixerant, imaginibus disseramus, quae in nummis Graecarum Vrbium occurrunt ad earum inveteratam in hac re consuetudinem comprobandam. Mos itaque extitit Graecis Vrbibus iam inde ab Heroicis temporibus, et cum primum moneta apud eos signari coepit, ut praeter Deorum, Dearumque Numina, quibus honorem exhiberent, Conditorum etiam suorum, Heroum, atque illustrium Virorum, capita, vultus, ac nomina nummis suis inscriberent. Neque id solum praestiterunt cum pleno autonomiae iure fruerentur; verum etiam sub Regibus, ac Principibus Romanis, quamvis id obsequii genus ipsis Regibus, atque Imperatoribus, ut par erat, praecipue exhiberetur. Huius instituti vetustior memo-

ria extat apud Aristotelem, qui floruit Alexandri M. temporibus, eiusdemque extitit praeceptor. Scribit enim Parios Archilochum, quamvis in vita maledicum, ϗ πᾶρ ὀντα βλάσφημον, quemadmodum ipsum appellat, tamen in nummis memoriae causa exprimere curasse. Fuit is Poeta aliis Spartanus; aliis vero ex Insula Paria maris Aegaei, carminis Iambici inventor, et scriptor amarulentus; unde Horatius:

Archilochum proprio rabies armavit Iambo.

Et Cicero ad Attic. lib. II edicta contumeliosa apellat Archilochia. Sed nummi cum eius effigie nulli modo extant. Supersunt tamen non pauca numismata, quae Conditores Vrbium exprimunt, ut Byzantem, Cyzicum, Docimum, Pergamum, Smyrnam, Spartam, Sipylum, a quo Magnetes nostri, Corcyram, Tmolum, Teum, aliosque plures. Item quae Heroes, ut Evrypylum in nummis Pergami Mysiae, Antinoum in maximo Vrbium numero, Dardanum in nummo Ilii Troadis, Hectorem in nummis eiusdem Vrbis, Leandrum in iis Abydi, Solymum in meis Termessi Pisidiae, Alabandum insuper, Theseum, Vlyssem denique in meo Ithacae nummo: tandem quae doctrina, et sapientia illustres Viros, ut Pythagoram Philosophum tam apud Samios cives suos, quam apud Nicaeenses Bithyniae, Euclidem Megarensem Mathematicum insignem in nummo Hadriani, Lycurgum Legislatorem sapientissimum, cuius Leges Oraculum Delphicum comprobasse ferebatur, Alcaeum Poetam in nummo Mytilenes Lesbi, cuius Vrbis pariter nummi trium illustrium Feminarum imagines Sappho nempe, Nausichaae, et Proclae adhuc supersunt; Anacreonta in nummo Teii Ioniae, Aratum Astronomum, et Chrysippum Philosophum in nummo Pompeiopolitarum Ciliciae, Homerum denique Poetarum principem, ut alios omittam, cuius effigies in nummis duarum Insularum, Chii nempe, et Ietarum, et

quatuor Vrbium Amastrios Paphlagoniae, Colophonis Ioniae, Nicaeae Bithyniae, ac demum Smyrnae Ioniae insculpta cernitur. In hac postrema vero Vrbe erat praeterea Delubrum Homero consecratum, et numismatis quoddam genus, quod Homericum ab eius effigie, ac nomine vocabatur. Atque haec quae de singulorum figuris, aut imaginibus in nummis insculptis innuimus certo constant ex eorum autographis, quae apud Pellerinium praesertim, Haymium, Sestinium, Eckhelium, aliosque plures videri possunt.

Sed hic paulum immorari praestat in nummis Xenophontis Medici Coensis, et Cn. Pompeii M., quoniam rem, causamque nostram proxime attingunt. Nummum Xenophontis in lucem edidit Pellerinius T. 1. Reg. pag. 206 Tab. XXII. Æreus est minime formae. Anterior pars exhibet ipsius Xenophontis caput nudum cum epigraphe ΞΕΝΟΦΩΝ; in altera stat Dea Salus dex. serpentem, s. pateram gerens, addito Vrbis Coensium nomine ΚΩΙΩΝ. Tacitus Annal. Lib. XII narrat Claudium Caesarem in Senatu de immunitate a vectigalibus Cois tribuenda retulisse. Multa de eorum antiquitate, et de arte medendi adventu Aesculapii in eam Vrbem illata memorasse; tum recensitis singulorum nominibus, qui celebres apud illos extiterant, et quibus quisque aetatibus viguisset, addidisse: *Xenophontem, cuius scientia ipse uteretur, eadem Familia ortum, precibusque eius dandum, ut omni tributo vacui imposterum Coi sacram, et tanti Dei ministram Insulam colerent*. Quod ultro ipsis a Caesare, et Senatu concessum fuisse subdit ibidem Tacitus. Haec acta sunt P. Annio Q. Aterio Cos An. V. C. Varr. DCCCVI, qui supremum imperii Claudii immediate praecessit. Hinc perspicue intelligimus, cui nam nummus suprascriptus adscribi debeat, quaque de causa Coenses civi suo de se optime merito id honoris pecunia publica tribuendum de-

creverint. Ex allatis ex Tacito, atque ex Deae Salutis typo nullus dubitationi locus relinquitur, quin imago illa ad Xenophontem Medicum, non ad celeberrimum eiusdem nominis Scriptorem sit referenda. Quod tamen hoc alterum si velis non modo non officeret, sed ex aequo prodesset, et cum disertissimo nostro Oratore propius conveniret.

Alter, et quidem eximius pertinet ad Cn. Pompeium Magnum Reipublicae Romanae lumen, et ornamentum. Eodem eruditum suum opus exorditur Vaillantius de Num. Graecis Imp. sed autographum nactus vetustate detritum illud minus accurate descriptum, delineatumque exhibere potuit. Singula quae merito notanda discrimina vide in nostro integerrimo, quo pariter seriem Imp. Romanorum auspicamur. Ad rem praesentem faciunt notae chronologicae, quae in nostro insculptae leguntur. Sunt autem ΘKC, quae annum designant CCXXIX ab Epocha Pompeiana numerandum. Eius Epochae cardo hisce limitibus circumscribitur, ut neque anterior esse queat autumno an. V. C. Varr. DCXXCVII, neque posterior verno tempore insequentis anni V. C. Varr. DCXXCVIII, ut in lib. nostro de Epochis demonstraturi sumus. Ex quibus sequitur nummum hunc referendum ad prima imperii tempora, primumque biennium M. Aurelii, et L. Veri. Vides porro quanto iam post Pompeii mortem intervallo Pompeiopolitae gratam Conditoris sui memoriam eo nummo renovaverint. Quo etiam tempore ex alio praestanti nummo cum suprascriptis notis chronol. discimus eandem Ciliciae Vrbem imagines quoque Arati Astronomi, et Chrysippi Philosophi illustrium civium suorum imagines sub iis M. Aurelii, et L. Veri, qui ad eam Vrbem ad bellum Parthicum properans venerat, assentationis gratia repraesentasse. Quae cum ita sint hic axiomatis loco ponendum: Graecas Vrbes nemini etsi spectato Viro, atque optime de se merito, quamdiu viveret in

in publica sua pecunia imagines dedicasse; Defunctos vero non infrequenter eo honore, aut in proprium decus, aut in beneficiorum memoriam, aliisque iustis de causis afficiendos sibi laudi duxisse.

Quibus iam constitutis, probatisque concludere tandem fas est: primo Io. Fabrum in suo illustr. Imag. Fulv. Vrsini Commentario falsa protulisse, dum asseruit imaginem, et nummum Ciceronis a Magnetibus Lydiae editum fuisse, cum Asiae praeesset Quintus ipsius frater. Id enim nonnisi vita functo ipso Cicerone fieri potuisse hactenus probatum est. Secundo nihil veritati magis consentaneum videri, quam ut Magnetes ob maxima Ciceronis in se beneficia, ut erga universam Provinciam, et singulas quasque civitates, eidem, et forte etiam Quinto fratri signum aliquod in foro dedicaverint ad memoriam posteris tradendam. Tertio denique nihil repugnare, quod iusta aliqua oblata occasione eidem, post quam decesserat nummum cum eius imagine signandum, edendumque curaverint. Nam si licuit Pariis teste Aristotele, ut numismate, et imagine donarent Archilochum, quamvis maledicum, et blasphemum; si verum est, quod Coenses id honoris tribuendum curaverint Xenophonti civi suo de se optime merito; quod Pompeiopolitae tanto post tempore a renovata ipsorum Vrbe, eodem honoris genere in beneficii memoriam Pompeium M. prosecuti sint, accedente ad ipsorum Vrbem L. Vero: denique quod certatim Vrbes Homeri imaginem, easque Platonis, Pythagorae, Euclidis, aliorumque illustrium Philosophorum, Poetarum etc. etiam sub Imperatoribus Romanis in sua pecunia exhibere potuerint, ut paulo ante demonstratum fuit, fatendum sane erit nihil obstare, quod Magnetes pariter Ciceroni dudum iam defuncto extraordinaria interveniente causa, atque opportuno tempore, imaginem ex signo apud se in foro dedicato numismate exprimendam,

publicandamque curaverint. In Cicerone profecto non una erat beneficiorum causa, quibus singulae Asiae minoris civitates sublato aedilitio vectigali affectae fuerant, quae Magnetes impellere posset, ad id honoris eidem tribuendum, sed aliae in eodem peculiariter concurrebant: quod civem suum Dionysium praeceptorem olim habuisset: quod etiam post quam ex Provinciae administratione decesserat Quintus frater, in Senatu a Magnetibus laudari meruisset in causa adversus L. Sextii Pansae postulationem, quam Marcus praesens utique ratam, firmamque habendam omni studio contendisse non est dubitandum. Ex quibus iure infero Magnetes utrique Fratri, imprimisque Marco, res, bona, fortunasque suas tamquam Patrono commendasse, ideoque clientelae, et hospitii iure cum eo iunctos fuisse, qua etiam de causa sibi gloriae ducerent eum tamquam pro cive suo habere', maxime ob eius nominis, et famae celebritatem longe sane maiorem, quam tot illustrium Virorum, quorum imagines in nummis intuemur. Accedit denique tempus opportunum, quo praeclarum illud numisma, vel a Magnetibus ipsis, vel a supremo ipsorum Magistratu Eponymo merito dedicari, consecrarique potuisse non iniuria coniicere fas est, de quo modo dicendum.

Quamquam autem minime necesse foret, ut perspectam haberemus causam, cur numisma, de quo agimus, signaretur, vel de tempore constaret, quo id factum fuerit, quemadmodum ignoramus utrumque de plerisque imaginibus, quae in aliis similibus nummis conspiciuntur. Ex eo enim ipso, quod nummi illi, et imagines extant, quod Ciceronis numismata tantis iam, tamque perspicuis argumentis ab omni fraudis suspicione vindicata fuerint, iustam etiam intercessisse causam admittere aequum est, cur id honoris tanto illi viro aliquando tribueretur; plurimum tamen conferre putamus ad eius au-

thentiam confirmandam, si expositis hactenus causis, cur nummus ille signari aliquando potuerit, de tempore etiam inquiramus, quo id evenisse non contemnenda de causa constare queat. Etsi vero in tanta praesertim annorum longinquitate, veterumque Scriptorum silentio nihil certi statui queat; probabilia minime deesse arbitror argumenta tum ex veteri historia, tum ex ipso nummo deprompta, quae aequis quibusque rerum aestimatoribus apta videri possint ad rem, de qua quaerimus suadendam.

Caesar, qui postea Augustus, ut refert Appianus de Bell. Civil. lib. IV: *victo apud Actium Antonio, quo averteret a se Ciceronis proditi dedecus, M. Tullium eius filium Augurem fecit, et paulo post Consulem, postremo Syriae Propraetorem: et literas de profligato per Caesarem ad Actium Antonio Cicero Consul recitavit pro concione, earumque exemplum pro rostris proposuit, ubi patris eius caput olim propositum fuerat.* Interfecto Iulio Caesare Dictatore M. Cicero pater Octavium eius ex sorore nepotem, eum ipsum nempe, quem paulo ante Antonium ad Actium profligasse vidimus, quique postea Augustus dictus rei Romanae tamdiu praefuit, omnibus benevolentiae officiis complexus ad summum quodammodo fastigium evexerat, maximosque honores eidem a Senatu impetraverat, refragante imprimis M. Bruto, ut ex eius epistolis ad Ciceronem datis fit manifestum. Verum id Tullius amore patriae faciebat, et ad eius libertatem conservandam maxime conducere arbitrabatur. Inita a Triumviris conspiratione adversus patriam, Octavius in necem Ciceronis, nullas conditiones admittente Antonio, consenserat. Quod tamen aegerrime, et contra voluntatem suam fecisse, et Ciceronem in magna postmodum apud eum existimatione fuisse plura argumenta suadent. Instar omnium sit illud, quod narrat

Plutarchus in eius vita. Nam cum apud quendam Ciceronis ex sorore nepotem venisset Octavius, idque contigisse innuit Plutarchus ante Actiacam pugnam, ille autem, quod volumen quoddam Ciceronis manibus teneret, consternatus veste contexisset: *Caesarem*, subdit, *qui rem animadverterat, sumpsisse volumen, et stantem magna ex parte evolvisse: reddidisse inde puero, et dixisse: doctus hic vir, fili, doctus fuit, et patriae amans.* Non mirum ergo si non magno post intervallo, ut idem Plutarchus ibidem subiungit, atque ex Appiano vidimus, cum debellaret Antonium Caesar, in consulatu sibi collegam cooptaverit filium Ciceronis, cuius in magistratu Antonii statuae ex Senatus decreto deiectae sunt. Quae omnia confirmat Dio Cassius lib. LI, et Seneca de Beneficiis lib. IV, ubi ait: *Quae res Ciceronem filium consulem fecit, nisi pater?* Et Plinius lib. XXII cap. VI, ubi refert *Octavium Caesarem cum M. Cicerone filio consulem Idibus Septembris*, idest paulo post Actiacam victoriam, quae IV Non. eiusdem mensis contigerat, *a Senatu obsidionali corona donatum fuisse.* Praeter auguratum, consulatum, et Syriacam administrationem, addit Seneca pater, Suasoria VII, eidem ab Augusto Asiam provinciam cum summo imperio demandatam fuisse. En ipsius verba: *Cum M. Tullius filius Ciceronis Asiam obtineret, homo, qui nihil ex paterno ingenio habuit praeter urbanitatem*, etc. apud eum autem, ut Auctor ibidem subiungit, coenaret quidam Caestius, interrogante Domino, quis ille vocaretur, qui in imo recumberet, seruus vero respondisset: *Hic est Caestius, qui patrem tuum negabat literas scisse, afferri protinus flagra iussit, et Ciceroni, ut oportuit, de corio Caestii satisfecit.*

Nomine Syriae a graecis Scriptoribus aliquando totus Oriens, vel Asia omnis intelligi solet. Ita apud Dionem Lib. LIII legitur Augustum ne offensae, et conten-

tiones intercederent inter M. Marcellum suum ex sorore nepotem, et M. Agrippam, cui Augustus graviter decumbens annulum tradiderat, *in Syriam amandasse*, quem tamen certum est toti Orienti praepositum fuisse, quique a Iosepho lib. XV cap. XIII Antiquit. recte vocatur τῶν πέραν Ἰονίȣ διάδοχος: Caesaris *Vicarius ultra Ionium*. Itaque vel Appianus in recitato testimonio de Asia provincia intelligendus, vel M. Tullius filius post Syriacam administrationem, alteram quoque Asiae obtinuisse dicendus est. Neque id sane sub Augusto inauditum. Nam Sentius Saturninus, et Quintilius Varus post Syriae praefecturam Legati Propraetores in Germaniam missi sunt, Piso Pamphiliam, dein Moesiam rexit; P. Sulpicius Quirinus primum Asiae, deinde Syriae iterum praefuisse legitur in Tiburtino Lapidis fragmento, quod supplevimus, et explicavimus in lib. nostro de Vulg. Aerae Emend. lib. IV pag. 414. Itaque Augustus ad suam declarandam voluntatem, studiumque erga M. Ciceronem patrem, quem invitus Antonio concesserat, filium licet patri dissimilem ad omnes honorum gradus evexit, eique post consulatum, Syriam regendam commisit, ac deinde conferente Senatu, Asia quoque provincia concessa est, quam olim eius patruus Q. Tullius summa integritate administraverat, et M. Tullius consularis maximis beneficiis affecerat. Atque istud quidem extitisse tempus probabili ratione coniicere licet, quo ea provincia, et singulae quaeque ex praecipuis Vrbibus in Proconsulis sui patrem adeo de se optime meritum publice, privatimque grati animi testificationes dedisse dicendae sunt; inter quas Magnesiam ab Sipylo inter nobiles eius provinciae tum recensendam, ut in altera Dissert. parte constabit, vel quod novis aucta beneficiis fuisset a Marco filio, vel ob vetera patris Hospitii, et Clientelae iura, et recentem adhuc beneficiorum recordationem, eloquentissimi

Viri, totoque Orbe clarissimi memoriam pecunia publica consecrare voluisse cogitandum est. Nisi potius statuere lubeat Theodorum supremum eo tempore Vrbis magistratum, nempe Stephanephorum, quod esset peculiaribus de causis Tulliorum Familiae, ac tum fortasse etiam Marco filio Proconsuli devinctus, ex signo aliquo M. Tullii patris in foro olim erecto, vel tum renovato, eius memoriam numismate posteris commendare voluisse. Cuius rei plura non desunt exempla Numismaticis haud ignota, frequentius quidem de Principibus Romanis, sed de Heroibus etiam non raro, ac Viris illustribus, ut in hac ipsa Dissertatione saepe memoratum invenies. Tales sunt nummi quatuor, in quibus simulacra, et signa in honorem Traiani dedicata exhibentur a Theodoro praecipuo magistratu Vrbis Tripolitarum Cariae, de quibus videndi Peller. Pop. III Tab. 128 n. 2, et 3, Haym. Tom. II pag. 268, denique Eckhel. D. N. V. Tom. II pag. 594. Tales sunt etiam effigies Antinoi a Saturnino Ancyranis, a Beturio Arcadiis, ab Hostilio Marcello Sacerdote Achaeis consecrata, atque ne recedam a Magnesiae ipsius exemplis, suo loco in secunda parte videbimus Augusto, Liviae, Caio, et Lucio, Druso etiam, et Agrippinae sen. Magnetes signa in foro posuisse, eorumque simulacra monetae suae consignasse ad posteritatis memoriam sempiternam. Id vero eo vel magis tum factum fuisse concedendum est, quod optime intelligerent Magnetes id gratum, acceptumque summopere futurum non modo M. filio provinciam regenti, sed Augusto imprimis, qui in unius patris gratiam tot honoribus, muneribusque filium ornaverat, et ad eam etiam Praefecturam deligendum per Senatum curaverat; deinde vero et ipsi Senatui Romano, cui Ciceronis gratissima erat memoria, quod eius amplissimi Ordinis partes, et auctoritatem tanto semper studio, et contentione sustinuerat, atque defenderat.

Atque haec sunt probabilia argumenta ad tempus designandum, quo Ciceronianus nummus in Vrbe Magnesia signari potuerit. Nummus vero ipse mirum in modum coniecturam hanc confirmat, tum vero etiam posteriora Augusti tempora plane excludit. Oportet autem, ut utriusque inscriptionis scribendi rationem attente consideremus, et cum similibus eiusdem Vrbis inscriptionibus conferamus, ut de assertionis nostrae veritate perspicue constare queat.

Si veterem scribendi rationem attendamus, qua uterentur Magnetes in vetustis Lapidum monumentis comperiemus eosdem, ex usitata caeterarum Vrbium consuetudine quadratas literas in iis adhibuisse. Exemplo esse potest foedus ictum cum Smyrnaeis sub Seleuco II, de quo agemus in altera Dissert. parte. Item Lapis in Append. ad Marmora Oxoniensia pag. 301, ubi sic legitur:

ΤΑΤΙΑ ΗΡΩΘΕΜΙΔΟΣ ΜΑΓΝΗΤΙΣ ΑΠΟ ΣΙΡVΛΟV ΖΩΣΑ ΕΑVΤΗ ΚΑΙ

ΤΩ VΙΩ ΚΑΤΟΙΧΟΜΕΝΩ ΛVΣΑΝΙΑ ΛVΣΑ ΚΑΙ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΛVΣ

Tatia Herothemidis filia Magnesiensis ab Sipylo, dum vixit sibi, et

filio defuncto Lysaniae, filio Lysaniae, et patri Lysaniae

Vides hic literas Σ, Ε et Ω quadratas, numquam lunatas adhibitas fuisse. Sed incertum est tempus, quo positus fuerit Lapis. De eo vero constat, quo praeclarum numisma Augusti, cum eius uxoris Liviae effigie, ac filiorum Caii, et Lucii Caesarum ab eadem Magnesia ab Sipylo editum fuit, cuius integram inscriptionem ad autographi fidem accurate propositam accipe ex Sestinio Descript. Num. Vet. pag. 425:

ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ Capita iugata Augusti, et Liviae.

ΕΠΙ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΚΙΛΛΙΔΙΑΝΟΥ ΙΕΡΕΩΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ Capita Caii, et Lucii nuda adversa. Aer. 3

In hoc nummo, ut vides, nulla occurrit litera, quae non sit formae quadratae.

Huic parum dissimiles iam dederant Vaillantius, Catalogus Musei Theupoli, atque omnium postremus Eckhelius Doctr. Num. Vet. T. III pag. 106, qui ibidem animadvertit primam adversae partis vocem ΣΕΒΑΣΤΟΙ, ut legebat Vaillantius, in simili Morelliano, et Musei Caesarei postremas literas ΟΙ extritas habere, ex quo suspicari fas est legendum potius ΣΕΒΑΣΤΩΝ, ut in eo Sestinii, quem supra dedimus. Aversam vero partem sic exhibet laud. Eckhelius ΥΙΟΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ. Hinc patet Caesareum numisma, ut et Vaillantii, necnon Catalogi Theupol. ex diversis typariis formis prodiisse. Notandum autem in rem nostram hos omnes quoque quadratis literis constare. Nummus signatus fuit ante An.V. C. Varr. DCCLVIII, quo uterque Aug. nepos decesserat, Lucius quidem An. DCCLV die XX August. ex Kalend.Antiatino, Caius vero XVIII post mense. Alius apud Sestinium est huiusmodi ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΜΑΓΝΗΤΩΝ .... ΟΥ ΔΙΟΝΥΣ..... Caput Liviae.

ΜΑΓΝ .... ΕΥΜΗΝΙΟΥ .... Cybele sedens inter duos leones. Aer. 3 Descript. N. Vet. pag. 426. Clare patet nummum hunc signatum fuisse superstite adhuc Augusto, ut et alterum Augusti ab eodem descriptum N.20. Vtrumque autem recusum testatur idem Sestinius. Sed quod ad rem nostram literae omnes quadratae conspiciuntur.

Post Augusti aetatem caetera omnia numismata, quae magna copia ab eadem monetaria officina Magnesiae prodierunt nullum iam sigma quadratum exhi-

bent, sed omnia occurrunt lunatae formae, ut constat ex sequentibus nummis apud Pellerinium, Haymium, et Sestinium, qui in eisdem accurate describendis, suam fidem, ac diligentiam omnibus probarunt. Talis est iste Liviae, in quo:

ΘϾAN CϾBACTHN Caput Liviae Augustae, atque in aversa parte:

CYNKAHTON MAΓNHTϾC AΠO C Genius Senatus. Aer. 3 Apud Pellerin. Mel. II pag. 17, et Tab. XXV n. 4.

Editus sub Tiberio, Augusto, et Livia vita functis; nam eo vivo Livia, nec sola Augustae, nec nisi post mortem Divae nomen tulit. In hoc habes non modo C perpetuo lunatum, sed Ϲ quoque semel, iterum, et tertio lunatae formae exaratum, promiscue tamen, cum una vice occurrat quoque E quadratum.

Talis item, qui sequitur Tiberii:

TIBϾPION CϾBACTON KTICTHN Caput Tib. laureat.

MAΓNHTΩN AΠO CIΠYΛOV Genius Vrbis turritus, et Imperator ex adverso stans dextras iungunt. Aer. 3

In hoc eximio numismate, in quo Tiberius Conditor appellatur, quod Magnesiam terremotibus graviter afflictam sublevasset, habes sigma, et Epsilon lunatae semper formae.

Talis denique, ut caeteros omittam, in quo sic legitur:

ΓAION KAICAPA CϾBACTOV Caput Caligulae radiatum.

..... MANIKON KAI AΓPIΠΠINAN

Germanicus velatus stans, d. pateram, et Agrippina senior pariter stans, d. duas spicas, s. hastam. Inter utramque figuram superne incipiendo haec adiecta conspiciuntur

AΓ

M

A

ΠΡ
CI
ΠV

Extat apud Haym., Sestin., aliosque. Vbique et in hoc Є, et C lunatum adhibetur. De literis in area perpendiculariter positis dicemus alibi opportunius. Literae vero lunatae occurrunt in subsequentibus nummis ad Gallienum usque, tum in antonomis eiusdem Vrbis, quorum exempla videnda praesertim apud Pellerinium, et Sestinium.

Hinc ex hactenus allatis monumentis invictum nascitur argumentum ad ea confirmanda, quae de tempore Ciceroniani nummi a Magnetibus edito paulo ante docuimus. Cum enim ante Augusti imperium, et vivente adhuc Cicerone admitti nequeat cimelium illud ex Magnetum officina monetaria prodiisse; ex comparatione autem, quae instituatur inter literas quadratas Ε, et Σ, quibus Ciceronianus nummus inscribitur, cum iis eiusdem Magnesiae nummis, qui cum quadratis literis in lucem hactenus prodierunt, excludendum sit omne tempus, quod ab excessu Augusti consecutum est, clare, et perspicue sequitur Ciceronianum numisma nonnisi imperante Augusto signari potuisse.

Vt autem arctiores quosque limites definiamus, intra quos nummus ille in Vrbe Magnesia Ciceronis memoriae consecrari potuerit, animadvertendum est Asiae Vrbes inter quas Magnesia Lydiae, quae terremotu eversae fuerant, a Tiberio restitutas fuisse ante annum V. C. Varr. DCCLXXII, quo iam tempore Romae cum Tiberii effigie, eiusque Tribunic. Potestate XXI, quae cum suprascripto partim anno DCCLXXII, partim vero sequenti iungitur, nummi prodierunt cum epigraphe in aversa parte CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS in tanti beneficii memoriam, quod ipsius Tiberii Liberalitate Vrbes illae in pristinum statum restitutae fuissent. Cum autem num-

mus paulo ante descriptus, in quo Tiberius ΚΤΙϹΤΗϹ ea de causa a Magnetibus appellatur, literas Є, et C lunatas praeferat, id certo argumento est, nummum Ciceronis, de quo agimus ante id tempus signari debuisse. Praeterea cum nummi sub Augusto, qui literis quadratis inscribuntur, Caii, et Lucii effigies exhibeant, Lucius vero ut supra iam innuimus anno iam V. C. Varr. DCCLV. decessisset, iure quoque infertur haud licere ultra hos fines longe progredi. De altero autem extremo haec statui posse video: M. Cicero filius id. Sept. anni V. C. Varr. DCCXXIII Consul processit, tum Syriae primum, deinde Asiae praefuit. Augustus ex Moecenatis consilio provinciales Rectorum administrationes non ultra quinquennium prorogare consueverat. Interiecto aliquo tempore post consulatum abierit M. filius in provinciam Syriae eidem ab Augusto demandatam, finis illius administrationis ultra annum DCCXXX protrahere oportebit. Provincia decedens Romae manserit per aliquod tempus: cum Caius Norbanus Flaccus, ut ex Fastis Romanis constat, provinciam Asiae obtineret anno V. C.Varr. DCCXXXVI, non iniuria statuendum videtur M. filium eidem successisse circa annum V. C. Varr. DCCXL. Ac propterea ipsius administrationis tempore editum fuisse nummum cum patris sui imagine, trigesimum circiter post annum, ex quo ille in patria saepe servata caput percussori abscindendum obtulerat.

Hoc iam postremo loco breviter exponenda bina illa argentea numismata m. m., de quibus mentio facta fuit pag. 34, tum p. 49. Primum est Laodiceae Phrygiae, in eoque legitur:

Μ ΤΥΛΛ ΙΜΡ ΛΑΟ ΛΑΒΑΣ ΠΙΡΡΟΥ:

exhibentur autem bini serpentes caudis implicati, et in spiras circumvoluti sese attollentes, quique pharetram

complectuntur, et in eius medio cernitur acrostolium, prominente superne arcu. In area ad d. adest Caduceus. Pars posterior in medio coronae ex hedera, et corymbis contextae offert cistam Bacchi mysticam semiapertam, et serpentem ab eadem exeuntem absque epigraphe. Typus uterque, vel parum dissimilis in caeteris fere omnibus Cistophoris occurrit. Vide illum apud Seguinum, a quo illustratus, tum apud Morellium, ac postremo apud Eckhelium Doctr. N. Vet. T. IV p. 354.

Laodicea erat Phrygiae Vrbs illustris una ex Dioecesibus, quae ad Proconsulem Ciliciae pertinebant, de qua plura Cicero noster in Epistolis ad Atticum, ubi etiam se forum egisse Cibyraticum, Apamense etc. testatur Epist. XXI lib. V. Non dubium quod praeclarum huiusmodi numisma signatum fuerit in honorem Ciceronis nostri, dum ille annuam administrationem gessit proconsularis Provinciae Ciliciae. Nam praeter M. praenomen, titulus IMP., quem apud Amanum montem sibi promeruerat Cicero, nummum eidem aperte vindicat. Audiendus ipse in epist. XX eiusdem lib. V: *ad Amanum montem contendi: qui mons erat hostium plenus sempiternorum. Hic a. d. III idus Octob. magnum numerum hostium occidimus: castella munitissima nocturno Pomptinii adventu, nostro matutino cepimus, incendimus:* IMPERATORES *appellati sumus.* Merito itaque consentiunt numismatici omnes eximium hunc Cistophorum Ciceroni nostro Ciliciae Proconsulatum gerenti a Laodicenis dicatum fuisse. Ex probatis autem suo loco carere debuit, ac reipsa caret eius imagine, ut caeteri omnes huius generis Cistophori, quod viventis effigiem insculpere in publica moneta vetitum esset.

Cistophorus alter in Catal. Theupol. T. 1. Ser. 1. in Famil. Tullia ita describitur:

TVLLI PROCOS ΑΡΙΣΤΟΚΛΗΣ ΤΡΑ

Duo angues, in quorum medio ..... ad latus laevum manus.

Corona, in cuius medio cista aperta, ex qua exilit serpens. arg. m. m.

Cum hanc Dissertationem proelo committere coepissem P. Felix Caronius ex illustri Barnabit. Ordine, quem ego plurimi facio, atque honoris causa nomino, nam in rebus numismaticis scientia, et peritia maxime excellit, me monuerat, praeclarum hoc tetradrachmum a Cl. Eckhelio in sua Cistophororum serie praetermissum fuisse, ideoque a me in Ciceronis nostri laudem commemorandum, exponendumque esse, quod et lubens me facturum spopondi pag.34. Sed edita vix ea pag. dolui me inconsiderate nimis in amici mei sententiam descendisse. Nam, ut facile erat, mox deprehendi ad M.Tullium nostrum nummum hunc minime spectare posse, cum Vrbs Lydiae Tralles extra Ciliciae provinciam, eiusque adiectas Dioeceses posita esset. Quamquam vero in re explorata versemur, minime piget Ciceronem ipsum in testem omni exceptione maiorem vocare. Ipse namque suum in provinciam iter describens Epist. XIV lib. V ad Attic. haec habet verba: *nunc iter conficiebamus aestuosa, et pulverulenta via; dederam Epheso pridie, has dedi* TRALLIBVS. *In provincia mea fore me putabam Kal. Sextilibus.* Mox vero sequenti epistola XV subdit: *Laodiceam veni pridie Kal. Sextil. ex hoc clavum anni movebis.* Rursus epist. XVI: *in provinciam nos venisse scito pridie Kal. Sextiles: moratus triduum Laodiceae, triduum Apameae etc.* Denique, ut alia id genus plura omittam, epist. XXI eiusdem lib. V: *veni*, inquit, *in provinciam Laodiceam Sulpicio, et Marcello Consulibus pridie Kal. Sextiles: inde nos oportet decedere a. d. III Kal. Sext.* En itaque quam perspicuum sit Tralles nihil ad procon-

sularem Ciliciae provinciam spectasse, ideoque nec nummum Ciceroni nostro adscribi posse, de quo sermo est.

Sed obiter modo inquisitione dignum videtur, qui nam Tullius Asiae provinciae Rector, ad quem procul dubio Tralles pertinebant, eximio illo Cistophoro donatus fuerit. Facile porro mihi persuadeo non alium extitisse, quam Quintum Ciceronem Marci fratrem, qui eam provinciam per triennium obtinuerat. Tres alii innotescunt Cistophori ad rem hanc comprobandam aptissimi. Sunt autem huiusmodi.

1. Cista semiaperta etc., ut in aliis Cistophoris. In altera vero parte legitur:
PVLCHER PROCOS, et in area TPA APICTOKAHC. Bini serpentes implicatis caudis pharetram complectuntur etc., insuper manus sinistra aliquid ramo simile retinens. Pell. Pop. II. Tab. LXIII. n. 54.

2. Cista mystica, ut in caeteris Cistoph. C. PVLCHER PROCOS. magistratus nomen, et monogramma Pergamenorum, qui ad eandem Asiae provinciam pertinebant. Typus serpentum parum dissimilis a praecedentibus. Haymius T. II Tab. XXIV n. 3.

Eadem adversa, et in opposita parte C. FAN. PONT. PR. Duo serpentes complicatis caudis sese attollunt, inter quos templum rotundum, cui superne erecta cernitur statua, d. pateram, s. hastam gerens. In area hinc . PA, inde aliquid ramo simile retinens, in imo APICTOKAHΣ Eckhel. Syll. I p. 49, ubi optime animadvertit vocem mancam . PA de Trallibus supplendam esse, ac nummum primitus bracteatum ex vetustate temporum, amissa arg. lamina, aeneam modo formam exhibere.

Ex duobus prioribus nummis, quos descripsimus, patet Pulchrum Proconsulem Caii praenomen tulisse, eundemque fuisse Asiae Proconsulem, quoniam Pergamus, et Tralles in eadem provincia censebantur. Erat autem

C. Pulcher ex familia Claudia, P. Clodii frater, qui Marcum Ciceronem lege lata per populum Vrbe eiecerat, ut mox videbimus. Ex primo, et tertio, tum ex eo Tullii, de quo agitur, qui singuli eundem magistratum ΑΠΙΣΤΟΚΛΗΣ insculptum referunt, invicte concluditur unumquemque eorum circa idem fere tempus signari debuisse. Q. Tullius Marci frater triennali Asiae provinciae administratione decesserat anno V. C. Varr. DCXCVI, ante Kal. Maias, in exilium recens profecto Cicerone fratre, ac Thessalonicae tum commorante. *Quintus frater*, verba sunt ipsius M. Tullii epist. IX lib. III ad Attic. *cum ex Asia discessisset ante Kal. Maii, et Athenas venisset Idib, valde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis, si quis forte fuisset, qui contentus nostris malis non esset, etc. Data Id. Iun. Thessalonicae.* De anno V. C. DCVI, quo Cicero P. Clodii conspiratione, iniquissimis legibus per vim latis in exilium pulsus fuit res est testatissima, ac mox constabit anno sequenti reversum in Vrbem fuisse. C. Fannium, qui in postremo Cistophoro Pontifex inscribitur, revera eo honore auctum iam fuisse constat pridie Kal. Octobris an. V. C. Varr. DCXCVII, quo die Cicero ab exilio redux orationem habuit de Aruspicum responsis, in qua cap. VI haec habet: *at vero domum meam P. Lentulus Consul, et Pontifex* (en Consul, qui signat annnm V. C. DCXCVII, de quo paulo ante dictum est) *P. Servilius*, C. FANNIVS, *M. Lepidus. . . omni religione, una mente, omnes liberaverunt*. Erant singuli ex collegio Pontificum, qui de religione domus Ciceronis a Clodio Libertati consecratae suam sententiam rogati pronuntiaverant.

Quod ad C. Pulchrum denique attinet, equidem non assentior Pighio, qui Tom. III Annal. pag. 399 in epist. Ciceronis XV lib. IV ad Attic. sibi legendum videbatur: *sed vereor*, de Attico scribens, qui in Asiam profectionem

susceperat, *ne lepore te suo detineat diutius* PRAETOR *Clodius, et homo pereruditus, ut aiunt, et nunc quidem deditus graecis literis*. Nam in emendatioribus codicibus habetur RHETOR *Clodius*, quod et postulat rectus subsequentium verborum sensus. Neque enim Cicero ignorare poterat quis esset C. Clodius Pulcher civis Romanus, et an, nec ne *pereruditus*, quin adderet, *ut aiunt*. Praeterea C. iste Clodius P. Clodii frater, qui in eo adiuvando contra Ciceronem operam suam praestiterat, ut mox videbimus, non ille sane esse poterat, qui *suo lepore* Atticum Ciceronis amicissimum, *diu apud se detineret*. Tamen argumenta alia non desunt, quae probant hunc C. Pulchrum praetura functum fuisse An. V. C. Varr. DCXCVII, quo consules fuere laud. supra P. Lentulus, et Q. Metellus. Nam Dio lib. XXXIX acta eorum consulatus recensens narrat Ciceronem ab exilio iam reducem assumptis Milone, Tribunisque plebis aliquot in Capitolium ascendisse, tabulasque, in quibus Clodius legem de eius exilio posuerat, deiecisse. Subdit autem his narratis: *hae tamen tunc ei a Clodio cum Caio fratre Praetore superveniente ademptae sunt*. Ex quibus patet eo anno DCXCVII C. Clodium Praetorem urbanum extitisse, ideoque in annum sequentem provinciam Asiae sortiri potuisse, uno scilicet anno postquam Q. Tullius ea, ut dictum est, decesserat. Illam forte retinuit C. Clodius per biennium, successore deinde accepto C. Fannio Pontifice, ut paulo ante vidimus. Itaque tres hactenus descripti Cistophori cum eodem singuli magistratus nomine ΑΡΙΣΤΟΚΛΗΣ septennium circiter complectuntur, ab administratione Asiatica Q Tullii ad C. Fannium. Ex quo iure merito iam inferes primum eorundem Cistophororum sine ulla dubitatione uni Quinto Tullio Marci fratri dicatum fuisse. Neque enim fingere licet alium tum temporis extitisse Tullium, qui eiusdem provinciae Rector extiterit, silentibus ea de re tum ve-

tustis Scriptoribus, tum omnis generis monumentis: Quae cum ita sint haud aegre feret praeclariss. Caronius, si Cistophorum Marco ereptum eius Quinto fratri vindicaverim. Quo sane augenda erit series numismatica Eckhelii Cistophororum, simulque Asiae Proconsulum. Dixi Proconsulum, quoniam ita nominatur Tullius, ita semel, et iterum C. Pulcher, quamvis C. Fannius scribatur Praetor, et recte quidem. Nam ut egregie iam animadvertit Eckhelius, non ita castigate loquebantur tam veteres Scriptores, quam Asiaticae Vrbes, quae sibi religioni ducerent proprium Praetoris nomen tantum adhibere, quin alterum maioris etiam assentationis gratia usurparent. Atque haec de prima Dissertationis parte sint satis.

DISSERTATIONIS PARS SECVNDA

CAPVT I.

De Magnesiae Vrbis splendore, amplitudine, ac regiminis forma ex Oxoniensi Foedere cum Smyrnaeis, ex Dialogis Platonis de Legibus, aliisque vetustis monumentis.

AD ea illustranda, vel confirmanda, quae hactenus demonstrata sunt plurimum conferre posse video, si singula bono in lumine collocentur, quae de hac Vrbe Magnesia ex vetustis Scriptoribus, monumentisque constant, de quibus propterea hoc capite sermo instituendus. Tres huius nominis Vrbes ab antiquis Geographis memorantur: una Thessaliae, Ioniae altera ad Meandrum; tertia haec nostra Lydiae, quae ut a caeteris distingueretur, ab Sipylo monte Augusti praesertim aetate nomen sibi adiecerat, ad cuius radices sita erat, ut ex allatis superius nummis patet. Non longe a Sardibus totius Lydiae Metropoli distabat, eamque Hermus fluvius alluebat. Fuit Vrbs cum esset libera, suique iuris imprimis nobilis, optimis legibus constituta, opulentia rerum omnium abundans, quae exercitum equitum, peditumque tam in Vrbe, quam in agro alebat, quae plurima habuit Templa, atque Aedes Diis patriis consecratas, praecipue Matri Deum Sipylenae, tum Soli, sive Apollini, Cereri, Baccho, Palladi, Themidi, aliisque Diis: in cuius foro praeter Deorum aras, aliaque ornamenta, plures erectae cernebantur Regum statuae, aliorumque illustrium Virorum, tum indigenarum, tum exterorum etiam: quae sua

edidit peculiaria certamina, et ludos: quae ex suis monetariis officinis magnam copiam signasse manifestum est, tum ex autonomis, tum ex imperialibus nummis ab Augusto ad Gallienum usque: quae demum cum praecipua Asiae Vrbe Smyrna foedere, et concordia iuncta omnibus belli, et pacis artibus instructissima fuit, maximeque floruit. Atque haec quidem si vera esse constiterint, ex hoc ipso minus quispiam mirari poterit, quod ea Vrbs ob beneficia quondam a M. Tullio Cicerone accepta, ob iura etiam clientelae, atque hospitalitatis signum eidem in foro dedicaverit, ac deinceps etiam ipsius imaginem in numismate expressam posteritati commendaverit. Demonstrandum itaque haec a me de Magnesia Vrbe ab Sipylo haud equidem falso praedicari. Nullum porro praestantius monumentum rei probandae causa afferri potest, quam Foedus Smyrnaeorum cum Magnetibus ictum *ad amicitiam, et belli societatem conservandam cum Seleuco II Syriae Rege in expeditione, quam in Seleucidem iterum suscepturus erat etc.*, inter marmora Oxoniensia editum, atque erudito commentario ab Humphrido Pridaeo, itemque a Seldeno illustratum. Quamquam enim non una sit de hoc antiquissimo Lapide Eruditorum sententia, atque Pridaeus ipse, quem sequitur Eckhelius Doctr. Num. Vet. Tom. II p. 526, illum adscribat Magnesiae Ioniae ad Meandrum; alii vero, ut Froelichius in Annal. Reg. Syriae, rem in medio relinquant; Harduinus denique, et Vaillantius ad Magnesiam Lydiae foedus illud spectare sine dubitatione statuant; nemo tamen hactenus, ut vere dicam, accurate, diligenterque sibi inquirendum proposuit, cui potius ex duabus illis Vrbibus praeclarum illud monumentum foret adscribendum. Id igitur nos modo praestemus, illudque futurum spero, ut clare pateat non de alia Vrbe sermonem esse in triplici eximioque Lapide Oxoniensi, quam

de Magnesia Lydiae, ad quam Ciceronis nummus spectat, de quo agimus.

Non unus autem est in iis locus ad omnem prorsus controversiam dirimendam aptissimus, sed duo praecipui, de quibus breviter modo dicendum. Primus ducitur ex iuramento, quod Magnesii Smyrnaeis, Smyrnaei Magnesiis in eo foedere praestiterunt. En utriusque formula, ac primo Magnetum pag. 3 lin. 60, et 61.

ΟΜΝVΩ ΔΙΑ ΓΗΝ ΗΛΙΟΝ ΑΡΗ ΑΘΗΝΑΝ ΑΡΕΙΑΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΤΑVΡΟΠΟΛΟΝ ΚΑΙ ΤΗ.. ΜΗΤΕΡΑ ΤΗΝ ΣΙΠVΛΗΝΗΝ ΚΑΙ ΑΠΟΛΛΩ ΤΟΝ ΕΜ ΠΑΝΔΟΙΣ ΚΑΙ ΤΟVΣ ΑΛΛΟVΣ ΘΕΟVΣ etc.

Iuro per Terram Solem Martem Minervam Belligeram et Tauricam et Matrem Deum Sipylenen et Apollinem Pandium et alios Deos etc.

Illud vero Smyrnaeorum in haec verba, linea 71.

ΟΜΝVΩ ΔΙΑ ΓΗΝ ΗΛΙΟΝ ΑΡΗ ΑΘΗΝΑΝ ΑΡΕΙΑΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΤΑVΡΟΠΟΛΟΝ ΚΑΙ ΤΗΜ ΜΗ ... ΡΑ ΤΗΝ ΣΙΠVΛΗΝΗΝ ΚΑΙ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΑ ΚΑΙ ΤΟVΣ ΑΛΛΟVΣ ΘΕΟVΣ etc.

Iuro per Terram Solem Martem Minervam Belligeram et Tauricam et Matrem Deum Sipylenen et Venerem Stratonicidem et alios Deos etc.

Ad rectam utriusque iuramenti intelligentiam praemittere oportet Smyrnam Vrbem, teste Aristide Orat. T. I. pag. 229 vetustissimis temporibus sub Sipylo monte conditam fuisse. Tum varios subiisse casus, donec Alexandri M. tempore in eum locum migraret, quem Meletes fluvius alluebat. Causam autem, ob quam ab antiqua sede in aliam translata fuerit ea Vrbs, refert Pausanias in Achaic. cap. V. Scribit enim Alexandrum M. in monte Pago, dum esset venatui intentus, ad Nemesum Templum accessisse, ibique procumbentem sub Platano secundum quietem vidisse Nemeses, quae monebant, ut

eo loco conderet Vrbem, et Smyrnaeos eo traduceret. Consultum super hac re Apollinem Clarium respondisse:

Terque quaterque beati Viri illi erunt,

Qui collem habitabunt trans sacrum Meletem.

Hinc Smyrnaeos a veteri statione libentissime decessisse, et in eum locum transmigrasse, quem Nemeses indigitaverant. Extant nummi M. Aurelii, et Gordiani Pii, in quibus Heros dormiens sub arbore exhibetur, cui binae adstantes Nemeses conspiciuntur, quo sane typo Alexandri M. somnium exprimi nemo non videt. Praestans item alter nummus Severi apud Arigonium, in quo sedet Dea Cybele cum attributis, dexteraque extensa duplicem Nemesim sustinens utramque Vrbis Smyrnae sedem, et originem egregie designat. Ex his porro clare patet, cur Smyrnaei etiam postquam apud Meletem fluvium novam Vrbem condiderant, non modo Nemeses magno in honore haberent, quarum monitu eo se contulerant, sed etiam Matrem Deum Sipylenen in antiquae sedis memoriam tamquam tutelare numen eximio adhuc cultu prosequerentur. Quod ex nummis etiam autonomis eius Vrbis fit manifestum, in quibus cum capite muliebri turrito legitur CIΠVΛHNH, et in aversa parte cum leone tympanum pede anteriori retinente, vel cum aliis typis legitur CMVPNAIΩN. Quod item confirmatur ex praeclaro numismate Iuliae Titi F. apud Morellium, in cuius aversa parte legitur CIΠVΛHNH CMVPNAIΩN, sedetque Dea Cybele capite turrito cum patera, et tympano, et iuxta eandem cubante Leone. Quae sane Dea Cybele ipsa est Mater Deum Sipylene, ut ex quam plurimis Magnesiae Vrbis Lydiae similibus nummis fit manifestum. Habemus ergo ex his Vrbem Smyrnam, quae primum condita apud Sipylum montem Matrem Sipylenen tanquam tutelare numen antiquissimis temporibus coluerat, posteriori quoque aetate, et in novas sedes translatam eandem aeque

inter praecipua Civitatis Numina habuisse. De Magnetibus Lydiae nulla sane dubitatio oriri potest, quod Cybelem, sive Matrem Sipylenen pro tutelari Vrbis suae Numine haberent, apud quos refert Pausanias longe antiquissimum extitisse eius Deae signum, cuius etiam tam saepe fit mentio in eius Vrbis nummis hactenus editis.

Itaque hisce praemissis, quis non inferat idcirco in utraque formula iuramenti mentionem fieri Matris Sipylenae, quod foedus iniretur inter Smyrnaeos, et Magnetes Lidyae ad Sipylum montem? Nam ut praeclare etiam animadvertit Pridaeus supra laudatus in suo Commentario: veteres tam Graeci, quam Latini in huiusmodi iuramentis, quibus foedera, pacta, conventa inire, et confirmare solebant, praeter insigniora Numina, peculiares etiam singulorum Deos, Deasque invocare consueverant, tum denique generatim omnes. Quod confirmat ex Homero, Virgilio, ex Foedere inito inter Carthaginenses, et Philippum Macedonem apud Polybium lib. VII, itemque ex Lapide apud Insulam Cretam invento, quem exhibet Gruterus pag. DV, demum ex Servio initio Georgicorum Virgilii. Et sane, quin plura in hanc rem congerere oporteat, satis unicuique compertum est: Homines, Nationes quascunque, Populosque eo maiori vinculo obstringi ad fidem iuramenti servandam, idque ipsis persuasum esse, si in testes vocaverint Deos, Deasque Vrbis suae praesides, quibus ipsi peculiarem, praecipuumque cultum exhibeant. In utraque formula iuramenti nominantur primo insigniores, communesque omnium Dii: Iuppiter, Sol, Terra, Mars, Pallas etc. tum inter peculiares Mater Sipylene, et Venus Stratonicide pro Smyrnaeis; pariter Mater Sipylene, et Apollo Pandius pro Magnetibus.

Si ab ea formula iuramenti, de qua sermo est excludendi essent Magnetes Lydiae, ac substituendi forent

Magnetes Ioniae ad Meandrum, nulli essent Dii peculiares, praesidesque, quos haec Vrbs Ioniae in testes fidei suae praestandae nominaret. Strabo enim lib. XIV de situ Orbis testatur: in Vrbe Magnesia ad Meandrum antiquitus extitisse *Fanum Matris Deum Didymenae*, sed postea eadem Vrbe eversa, et in alium locum translata: *in nova Vrbe*, sunt eius verba, *Dianae Leucophrynes fanum esse, quod et Aedis magnitudine, et multitudine donariorum ab Ephesio superatur; artificio vero, et structurae concinnitate illud longe superat*. Ex quo sane manifestum fit hanc Deam fuisse novae Vrbis tutelare numen, ut veteris extiterat Mater Deum Didymene. In nummis huius Vrbis saepe mentio est eius Deae candida habentis supercilia, sive Leucophrynes, modo sub Lunae bicornis symbolo, modo sub figura Dianae polymammiae stantis cum adminiculis, supervolitante ad caput hinc, et inde victoria, additaque pro pedibus columba. De eadem etiam fit mentio apud Pausaniam in Atticis, ubi narrat Themistoclis filios aeneum Artemidis Leucophrines simulacrum dedicasse, quae a Magnetibus in honore habebatur. Eandem denique memorat foedus, de quo sermo est, extra tamen praemissi iuramenti formulam, cuius etiam paulo inferius verba afferemus, ex quo sequitur tempore, quo utrumque iuramentum praestitum fuit fanum illud Artemidis in maxima iam hominum fama, ac celebritate extitisse. Itaque si Magnesia Ioniae intelligenda esset, quae iuramentum cum Smyrnaeis in recitato foedere praestitisset, sive illa foederis tempore cultum adhuc servasset erga Matrem Deum Didymenen, quam antiquitus speciali quadam veneratione coluerat, sive ea praetermissa unum tutelare Vrbis suae Numen in nova Vrbe tantum admisisset, coleretque Dianam Leucophrinen, quis quaeso non fateatur Magnesiam hanc Ioniae ad Meandrum in sua iuramenti formula pro Smyr-

naeis, vel Matrem Deum Didymenen, vel Dianam Leucophrinen, vel utramque nominare debuisse, postremamque potissimum, cuius magna tum vigebat nominis fama, ut dictum est? Neutrum autem praesidem Deum, nullumque aliud peculiare Numen huius Vrbis ad Meandrum in utraque formula occurrit, cum e contra, ut probatum est, tutelare Matris Sipylene Numen, tam Smyrnae Vrbi, quam Magnesiae Lydiae apprime conveniat; tum alterum, quod sequitur Veneris Stratonicidis pro Smyrnaeis, et Apollinis Pandii pro Magnetibus Lydiae, quemadmodum deinceps constabit.

Atque haec quidem, nisi mea me fallit opinio, sufficere possent, ut quisque certo sibi suaderet in eximio marmore, de quo agimus, de una Magnesia Lydiae sermonem esse. Sed alius praeterea locus in eodem foedere aeque illustris ad rem confirmandam occurrit, ubi statuitur quibus in locis, sacrisque Templis foederis exemplaria marmoreis columnis inscripta servari debeant. En Lapidis verba:

ΑΝΑΓΡΑΨΑΤΩΣΑΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΟΜΟΛΟΓΙΑΝ ΕΝ ΣΤΗΛΑΙΣ ..
..... ΕΤΩΣΑΝ ΣΜΥΡΝΑΙΟΙ ΜΕΝ ΕΝ ΤΩΙ ΤΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΟΣ ΙΕΡΩΙ ΚΑΙ ΕΜ ΜΑΓΝΗΣΙΑΙ ΤΗΙ ΠΡΟΣ ΤΩΙ ΜΑΙΑΝΔΡΩΙ ΕΝ ΤΩΙ ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔ ..
.... ΗΣ ΙΕΡΩΙ ΟΙΔΕ ΕΜ ΜΑΓΝΗΣΙΑΙ ΚΑΤΟΙΚΟΙ ΕΝ ΤΕ ΤΗΙ ΑΓΟΡΑΙ ΠΑΡΑ ΤΟΝ ΒΩΜΟΝ ΤΟΥ ΔΙΟΝ.... ΟΥ ΚΑΙ ΤΑΣ ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΙΚΟΝΑΣ ΚΑΙ ΕΜ ΠΑΝΔΟΙΣ Ε ν τῷ ἱέρῳ τοῦ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΚΑΙ ΕΓ ΓΡΥΝΕΩΙ ΕΝ ΤΩΙ ΙΕΡΩΙ ΤΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ etc.

Perscribunto autem foedus in columnis utrique. Has vero consecranto Smyrnaei quidem in Veneris Stratonicidis Fano, et in Magnesia, quae est ad Meandrum in Templo Dianae Leucophrynes. Qui autem Magnesiam incolunt in foro iuxta aram Bacchi, Regumque statuas, et in Pandis in fano Apollinis, et in Gryneo in fano Apollinis.

Ex hoc decreto pariter clare, ut arbitror, fit manifestum Magnesiam, cum qua foedus a Smyrnaeis ictum fuit diversam fuisse ab ea, quae ad Meandrum sita erat. Primo enim, quemadmodum in secunda huius decreti parte sancitur, ut qui Magnesiam incolunt foederis columnas ponere debeant in propria Civitate, insuper in externo Grynei fano Apollinis; ita pari ratione in prima eiusdem decreti parte statutum fuisse admittendum est, quod Smyrnaei praeter quam in propria Civitate, in altera quoque externa, et a foederata diversa foederis columnas consecrare deberent. Ex quo sequitur Magnesiam ad Meandrum non eam esse, cum qua huiusmodi foedus ictum fuerat. Ac revera in foedere, de quo sermo est, unicus iste locus occurrit, in quo peculiaris mentio habeatur de Magnesia ad Meandrum, et de fano Dianae Leucophrynes eiusdem Civitatis: Magnetes autem, cum quibus inita societas ad Seluci II Regis salutem, et maiestatem tuendam ubique vocantur ΟΙ ΕΜ ΜΑΓΝΗΣΙΑΙ ΚΑΤΟΙΚΟΙ, *Magnesiae incolae*, *et ii*, *qui in castris versantur equites*, *et milites*. Insuper in eandem societatem admittuntur, qui castellum Palaemagnesiam incolebant, ubi erat antiqua Smyrnaeorum sedes, et regio sub Sipylo monte, ante quam novam Vrbem prope Meletem amnem ex monitu Nemesum conderent, ut supra suo loco probatum est. Patet itaque idcirco Meandri fluminis uno illo in loco mentionem factam fuisse, ut Civitas, in qua a Smyrnaeis altera consecranda erat foederis columna, a Magnesia cum ipsis foederata distingueretur. Quod idem confirmat peculiaris ibidem pariter facta mentio fani Dianae Leucophrinae, quod Numen cum esset praecipuum, et tutelare eius Vrbis, si foedus ad hanc Magnesiam pertineret, in iuramenti formula loco Matris Sipylenae sine dubio minime desideraretur. Accedit denique, quod si Magnesia ad Meandrum ea esset,

cum qua Smyrnaei foedere coniuncti fuissent, tres iam columnae eiusdem foederis admittendae essent, quae in ea Ioniae Civitate erectae, et consecratae fuissent: una in foro, altera in Pandis in fano Apollinis, ut innuere videntur decreti verba: tertia ex hypothesi in fano Dianae Leucophrynae, quibus insuper addenda quarta in externo Apollinis fano in Gryneo ab ea consecranda. Vna autem superesset columna, quae a Smyrnaeis in propria Civitate in Templo Veneris Stratonicidis posita fuisset, praeter alteram in Vrbe foederata, quin ulla alia in externa aliqua Civitate ab ea constituta intelligi posset.

Exemplum quoque ab aliis vetustis foederibus peti potest, quod in erigendis columnis ea aequabilis methodus, quam diximus, semper servata fuerit. Frequentius decerni consueverat, ut binae tantum columnae, sive tituli erigerentur, singuli in utraque foederata Vrbe. Ita in foedere inter Hieraptynios, et Priansios Cretae, apud Pridaeum Marm. Oxon. p. 116, in quo praescribitur, *ut iuramentum in iisdem stelis apud utramque Civitatem ponatur*. Sic in eo Atheniensium cum Lacedaemoniis apud Thucyd. lib. V Hist, ubi sic statuitur: *Haec autem foedera iurabunt iidem, qui superiora, erecto apud utrosque saxeo titulo, uno quidem Lacedaemone iuxta Apollinem in Amyclaeo, altero autem Athenis intra Vrbem iuxta Minervam*. Quod si praeter unam in utraque Civitate foederata ponendam, plures aliae, vel etiam una tantum erigenda insuper in foedere sanciretur, communibus id sumptibus in externo aliquo ex celebrioribus fanis, vel locis faciendum decernebatur. Cuius rei praeclarum habemus exemplum apud laud. Thucyd. cit. lib. V, ubi in foedere Atheniensium cum Argivis, et Eleis, atque Mantineis haec leguntur: *Describant quoque placita haec foederis cum iure iurando in cippo, vel titulo lapideo:*

Athenienses quidem in Vrbe: Argivi vero in foro apud Delubrum Apollinis: Mantinei autem in foro, et apud Iovis Delubrum. Communiter vero ponant et ludis Olympiacis aeneum titulum iis, quae nunc sunt, Olympiis.

Si itaque veritatem amamus ex recitata Decreti formula in foedere Smyrnaeorum clare infertur Magnesiam, cum qua ictum est foedus, eam esse, quae sub Sipylo Monte sita erat, ac propius aberat a Castello Palaemagnesiae, eaque regione, quam primitus Smyrnaei ipsi incoluerant, quaeque si fides Straboni lib. XIV, stadiis XX a nova ipsorum Vrbe distabat. Mitto alia argumenta, quae ex ipsis Decreti verbis, eorumque recto sensu, nexuque peti possunt, cum ea, quae allata sunt sufficere queant, ut quisque sibi suadeat eo decreto sancitum fuisse, ut uterque populus maioris custodiae causa foederis columnas non modo in propria Civitate, sed in externo etiam, et illustriori aliquo fano consecrarent. Ac propterea Smyrnaeos quidem in proprio Veneris Stratonicidis, tum in extero, celeberrimoque Dianae Leucophrynae; Magnetes vero ab Sipylo praeter quam in sua Civitate, in fano etiam externo Apollinis Grynei. Grynium erat Oppidum Aeolidis in Asia minori ad oram maris Aegei, ubi Apollo Grynaeus, vel Gryneus inde dictus, et oraculo celebris, de quo etiam Virgilius IV Aeneid. de Aenaea Duce sermonem habens:

Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo.
Italiam Lyciae iussere capessere sortes.

Pausanias quoque in Atticis lib. I. p. 50 celebres quasdam Sarmatarum loricas lineas dicatas videri scribit, tum in aliis Templis, ϗ ἐν Γρυνάιῳ *in Grynaeo, ubi Apollinis pulcherrimus lucus, etc.* Apud Strabonem denique lib. XIII memorantur hoc ordine: *Oppidulum Myrinaeum, Grynium, et Fanum Apollinis, et vetus Oraculum, et Templum sumptuosum ex albo lapide.* Non dubium ita-

que, quod illud foederis decretum externum hoc Apollinis Fanum respexerit.

Quibus iam demonstratis mirari subit Cl. Pridaeum in suo Commentario ad ea verba, quibus decernitur Foederis exemplum consecrandum a Smyrnaeis ΕΝ ΤΩΙ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΛΕVΚΟΦΡVΝΗΣ ΙΕΡΩΙ in Templo Dianae Leucophrynes, haec adnotare potuisse: *Ita populus alter in alterius Numinum Fanis Foedus ex pacto collocabant.* Id enim de Smyrnaeis quidem verum est, falsum vero de Magnetibus, qui sive ad Meandrum, sive ad montem Sipylum pertinerent, nullam in Fano Vrbis Smyrnae columnam Foederis collocare iussi sunt. Sed praeterea ex demonstratis iam patet Pridaei sententiam de Magnesia ad Meandrum tamquam altera foederata plane deserendam esse. Quod Magnesia Vrbs Ioniae altera Lydiae celebrior esset, Cl. Virum in errorem pertraxit, qui profecto, si rem sedulo ad examen revocasset, non dubito, quin aliud de foederata Vrbe cum Smyrnaeis iudicium protulisset. Nam praeter ea, quae paulo ante probata sunt, alia quoque minime desunt argumentorum genera ex eodem fonte manantia, quae nostram hactenus explicatam sententiam confirment.

Ac revera si singula percurramus, quae in unoquoque Foederis lapide continentur, perspicuum fiet Smyrnaeos primas non modo partes sibi vindicare, sed etiam Magnesiae incolas, tam qui erant in Vrbe, quam qui in castris, equites, et pedites pro suis colonis habere: iisdem, quod Seleuci Regis amicitiam, et belli cum eo societatem conservandam proposuerint: *ius Civitatis in Vrbe Smyrna ad aequalem, et similem modum, ut aliis civibus concedere*: ipsos colonos, aliosque incolentes Magnesiam quoscunque, qui sint liberi, et Graeci, iuberi, ut utantur legibus Smyrnaeorum, et admittant numisma Civitatis Smyrnae, ut legitimum: insuper eosdem

M

Archontem ablegatum a Smyrnaeis recipere debere, cui claves tradantur ad custodiam Praesidii, quod erat extra Vrbem Magnesiae: eorum denique omnium tam equestris ordinis, quam peditum descriptionem fieri debere. Haec porro talia esse nemo non videt, quae non tam Vrbi, populoque pari quodam foederis iure cum altero societatem ineunti conveniant, quam quae praecipua sint Vrbis Smyrnae, a qua Magnetes iura ac leges accipiant. Ex quo etiam iure inferes Foedus illud nulla ratione ad Magnesiam Ioniae spectare posse. Erat enim inter caeteras Ioniae maxime illustris, cum Smyrna nullo antiqui incolatus vinculo coniuncta, atque initi foederis tempore Smyrna Vrbs nondum ad tantam amplitudinem, splendoremque pervenerat, ut cum florenti Ioniae Vrbe Magnesia plurimum contendere posset. Etiam cum principatum obtinuit Smyrna, Magnesia ad Meandrum se septimam Asiae in nummis appellare non dubitavit; qui sane locus inter quingentas Asiae Vrbes illustris. E contra Smyrna Civitas initi Foederis aetate ab antiquo incolatu suo erga colonos, et incolas, tam qui erant in Vrbe Magnesia ab Sipylo, quam qui proximas regiones, et agros habitabant, iura sibi propria adhuc retinuisse ex ipsis Foederis tabulis clare infertur.

Quod ut magis magisque manifestum fiat; hic quaedam subiicienda duco, quae in tertio postremoque Oxoniensi Lapide continentur. Haec autem foedere iam sancito inter *Smyrnaeos, et Magnesiae colonos*, graece ΚΑΤΟΙΚΟΥΣ, *et castrenses equites, et pedites milites, et alios habitantes*, graece ΟΙΚΟΥΝΤΑΣ *in Vrbe Magnesia* habentur: existimans autem populus Smyrnaeorum necesse esse Vrbi, uti accipiant etiam regionem dictam ΠΑΛΑΙΜΑΓΝΗΣΙΑΝ *Palaemagnesiam*, sive antiquam Magnesiam, *et constituere praesidium ab se: et ut hoc praesidio recepto ab Vrbe securiora permaneant omnia nego-*

tia arctius contingentia Regem Seleucum, miserunt ad habitantes in ea regione, et invitarunt ipsos ad sectandam amicitiam cum Rege Seleuco, et ad tradendas claves Archonti ablegato a populo, et ad recipiendum praesidium, quod una custodiat cum ipsis regionem Regi Seleuco, promittens populus, ista si facturi sint, obventura ipsis ab Vrbe omnia urbanitatis officia, et beneficia. Describitur deinde quod habitantes, ΟΙΚΟΥΝΤΕΣ in illa regione elegerint amicitiam cum Rege Seleuco, atque etiam claves tradiderint Archonti ablegato a populo, et praesidium ab Vrbe Smyrna missum receperint in regionem. Hinc sequitur in marmore: *Cum bona fortuna datum esto: Cives ipsos esse, et fore ipsis eadem quaecumque aliis civibus sunt.... et si finibus suis adiungatur regio, quam habent, qui prius erant in Vrbe Magnesia coloni Vrbi nostrae, fore ipsis tres sortes gratis..... fore quoque Omani, et Persis ab Vrbe Smyrna ablegatis ad praesidium regionis cum ius Civitatis, tum alia urbanitatis officia, quae et aliis ex Vrbe Magnesia dabuntur*. Haec omnia fere ad verbum exscripsi ex marmoreis tabulis ad maiorem rei illustrationem.

Itaque si modo quis animo repetat Vrbem Smyrnam originem suam in regione prope montem Sipylum non longe a Magnesia eiusdem regionis antiquitus habuisse, ut suo loco demonstratum est: si perpendat insuper Civitatem Smyrnae, ipsosque cives, ex quo novam Vrbem alium in locum transtulerant, non propterea antiqua iura in veteres agros, et antiquae sedis regionem amisisse; denique Palaemagnesiam, de qua in recitatis foederis tabulis mentio est, nihil commune habere posse cum Magnesia Ioniae ad Meandrum, sed sitam fuisse circa Sipylum montem, cuius adhuc vestigia supersunt, nec longe abfuisse ab Vrbe Magnesia, quae in eodem monte sita erat, fateri sane debebit foedus, de quo in-

quirimus, non cum alia Magnesia iniri potuisse, initumque revera fuisse, quam cum ea, quae ad eundem Sipylum montem pertinebat. Attendenda praeterea sunt ea foederis verba, quae paulo ante de tribus sortibus latine attulimus, graece autem sic se habent ΚΑΙ ΕΑΝ ΠΡΟΣΟΡΙΣΘΗ Η ΧΩΡΑ ΗΝ ΕΧΟΥΣΙΝ ΟΙ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΟΝΤΕΣ ΕΜ ΜΑΓΝΗΣΙΑΙ ΚΑΤΟΙΚΟΙ ΤΗΙ ΠΟΛΕΙ ΤΗΙ ΗΜΕΤΕΡΑΙ ΥΠΑΡΧΕΙΝ ΑΥΤΟΙΣ ΤΟΥΣ ΤΡΕΙΣ ΚΛΗΡΟΥΣ ΔΩΡΕΑΝ. *Si autem adiungatur regio, quam habent, qui prius erant in Vrbe Magnesia coloni, Vrbi nostrae, fore ipsis tres sortes gratis*. Quibus sane verbis ostendunt Smyrnaei sperasse se, quod finibus suis, sive regioni Palaemagnesiae, in qua erat antiqua Vrbis suae sedes, adiungeretur proxima regio: quam ob spem foederatis promittebant fore ipsis tres sortes gratis. Nullum itaque argumentum illustrius haberi potest, quo pateat Foedus, in quo sermo habetur de antiqua regione Palaemagnesiae, ac de sedibus, quas antiquitus Smyrnaei deseruerant, quibus proxima erat Vrbs Magnesia ad Sipylum, cum eadem Civitate, et cum proximae regionis incolis, atque colonis ictum fuisse, ad eamque Oxonienses lapides pertinere.

Ad ea verba, quae paulo ante attulimus ΚΑΙ ΕΑΝ ΠΡΟΣΟΡΙΣΘΗ Η ΧΩΡΑ etc. haec in suo Commentario adnotat Pridaeus: *Ager puto veteri Magnesiae adiacebat, quem possidebant ii, qui Magnesiae olim fuerant incolae; idest qui sedibus mutatis in Smyrnaeorum agrum transmigrarant. Hunc si Smyrnaeorum Civitatis possessionibus accederet, Decretum hoc veteris Magnesiae incolis, seu Palaemagnetibus assignat nomine* κλήρου, *seu praedii etc.* Ipse Pridaeus itaque non obscure indicat hoc loco mentionem fieri de iis, qui cum veterem Magnesiam incolerent in Smyrnaeum agrum transmigrarant. Sed iam supra probatum est Smyrnaeos antiquitus eam regionem, sive veterem Magnesiam incoluisse, quae monti Sipylo

adiacebat, nec longe aberat ab Vrbe Magnesia Lydiae, quae ab eodem Sipylo monte nomen sortita est. Igitur vel ipse Pridaeus in nostram nescius sententiam descendit, quamvis in alio superius recitato loco, alteram de Magnesia Ioniae ad Meandrum adoptasse visus sit.

Idem ipse Pridaeus haec de Magnesiae cum Smyrnaeis foedere animadvertit pag. 22 scribens: *Ipsa vero foederis, quod ex eorum genere est, quae inaequalia sunt, formula plurimum minuitur Magnetum libertas. Et quod specie foedus est, revera eis precaria erat servitus.* Quae sane mirifice confirmant, quae superius demonstrata sunt ad excludendam Ioniae Magnesiam ab hoc foedere ob eius praestantiam, de qua erat tum par cum Vrbe Smyrna contentio. Adi num. LVII eiusdem libri, ubi foedus inter Hieraptinios, et Priansios Cretae ex autographo Lapide affertur. In eo comperies quomodo pari iure a foederatis populis pacta, et foedera celebrarentur. Indubiis itaque argumentis probatum arbitror Smyrnaeorum foedus non cum alia Vrbe Magnesia ictum fuisse, quam cum ea Lydiae, quae ab Sipylo vocabatur.

Hinc plura scitu digna iam innotescunt, quae ad splendorem ipsius Magnesiae Lydiae, ad magistratus, ad instituta, ad opulentiam ipsius declarandam pertinent, quaeque demum ad nummum Ciceronis illustrandum magno inferius erunt adiumento. Quamquam enim, ut paulo ante vidimus, negari nequeat Smyrnam Vrbem in eo foedere sua iura manifestasse in eos, qui antiquis suis sedibus ad habitandum successerant, quique etiam tamquam coloni habiti fuisse videntur, sive eas sedes, sive proximas regiones, atque ipsam quoque Vrbem Magnesiam ab Sipylo incolerent; illud tamen intelligendum non est de indigenis, propriisque eiusdem Vrbis civibus, qui cum Smyrnaeis ipsis, antequam ex iis locis migrarent communem habebant utriusque Vrbis Deam praesidem Matrem

Sipylenen, de quibus propterea nominatim, ac praecipue sermonem hic instituere profitemur. Patet itaque ex laudati foederis tabulis Magnesiam Lydiae haud equidem inter postremas Asiae Vrbes numerandam esse, quae a Smyrna iam tum Ioniae Vrbe illustri ad amicitiam, et societatem cum Rege Seleuco ineundam, et ad eius salutem omni ope tutandam, missa legatione, digna habita fuit, quae invitaretur, magnisque oblatis praemiis alliceretur. Quae exercitum alebat peditum, equitumque tam in Vrbe, quam in agro, et locis *subdialibus*, sive ut interpretantur Budaeus, aliique *in castris*. Ex libro de Legibus Platonis, quae maiori parte ex hac nostra Vrbe Magnesia depromptae, simulque eiusdem optime constituendae causa conscriptae fuisse videntur, ut paulo post videbimus, Civitas cum universa regione ad se spectante in partes XII distributa unum corpus efficiebat cum civibus, qui in agrum partiti fuerant, ubi etiam divisae erant turmae peditum, equitumque, qui fines ab hostium incursionibus tuerentur, atque ad omnem belli casum parati essent. De his itaque sermo esse videtur in eo foedere, eoque propemodum in sensu, quo etiam apud Romanos, qui cum distributi essent in Tribus urbanas, et rusticas, ex utrisque militum delectus habebatur, qui in expeditionibus suscipiendis stipendia mererentur. Sed haec obiter: reliqua Vrbis Magnesiae decora, ornamentorumque genera percenseamus, quae ex foedere suprascripto liquent. Nam ex eo insuper infertur Magnesiam nostram fuisse Vrbem liberam, suis legibus utentem, atque in statu populari, quo regebatur, communi Senatus, civiumque suffragio eligere consuevisse sacerdotes, duces, magistratus, qui rebus sacris, qui bello, qui iudiciis, atque Vrbis administrationi praeessent. Supremum autem inter eos magistratum annuum fuisse, qui coronam perpetuo gestaret, vocareturque *Ste-*

phanephorus, quo etiam annus signaretur. Ita in Foederis lapide nominatur Hegesias Smyrnaeorum Pontifex; Pythodorus autem Magnetum Stephanephorus, sub quibus foedus illud initum fuisse designatur, addito etiam mense Lenaeone. En Autographi verba. ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΗΓΗΣΙΟΥ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΔΕ ΠΥΘΟΔΩΡΟΥ ΜΗΝΟΣ ΛΗΝΑΙΩΝΟΣ etc. Habuisse praeterea plura Deorum Templa, plura item castella, et munitiones, officinas monetarias, tabularia publica, et in Foro aras Deorum, et Regum statuas. Tandem, ut caetera omittam, Magnetibus, quod eam societatem iniissent Smyrnaeos haec promissa iuramento fecisse. *Faciam*, verba sunt foederis, *Magnetes omnes, item qui ex iis nati fuerint cives pari undequaque cum caeteris civibus iure, et in Tribus eos distribuam, atque in eam admittam, quam unusquisque sortitus fuerit..... et participes eos faciam tum magistratuum, tum rerum caeterarum in Civitate communium, quarum reliqui cives participes sunt.* Ex quibus satis iam constare arbitror de Magnesiae nostrae nobilitate, atque amplitudine.

Sed alia plura praeterea contineri arbitror de Magnesia hac nostra in XII libris Legum, quos divinus Plato conscripsit. Non modo enim Magnesiam in iis saepe commemorat, sed ea etiam addit, quae de ea Lydiae, non de altera ad Meandrum interpretanda mihi videntur. Quod potissimum ex duobus ipsius testimoniis modo demonstrandum mihi sumo. Unum extat Dialogo XII, ubi supremi magistratus in Magnesia Vrbe eligendi formam describit, de qua etiam Cl. Pridaeus in suo Commentario merito animadvertit: *Platonem dum Magnetas in civili illo de magistratibus praecepto generali meminit, ipsos, qui eis tunc fuere in usu mores una simul innuisse*. Vult itaque Plato, quod singulis annis post aestivum solstitium ad locum Soli, atque Apollini com-

muniter dedicatum Civitas universa conveniat ad Triumviros ex optimis civibus eligendos, qui supremi futuri sint Iudices, simulque Solis, et Apollinis Sacerdotes: addit eosdem ita electos fronde viridi coronandos: tunc per Praeconem pronunciari debere: *Quod Magnesia Civitas iterum Deo duce salutem nacta designatos suos Soli Triumviros optimos, ut primitias ritu veteri Apollini, et Soli communes consecrat*. Alterum est ubi pariter indicat Plato eam Vrbem eversam fuisse. Nam Dialogo X inquit: *Haec Magnesiensibus lex cum bona fortuna feratur, quorum Vrbem Deus erigens coli iterum facit*. Clarius tandem initio Dialogi IV Clinias unus ex interlocutoribus patria Cretensis, et ad novam constituendam Rempublicam designatus: *idcirco*, inquit, *habitatores illuc conducere cogitamus, quod prisca quadam hominum inde facta propulsione magno temporis spatio iacet regio desolata*. Quamquam vero negari nequeat pleraque a Platone arbitratu suo conscripta fuisse in hisce libris, in quibus sibi propositum erat leges praescribere, quae ad optimum, beatissimumque cuiusque Civitatis statum constituendum prodesse possent; tamen nullam video causam, cur etiam conficta suspicari debeant, quae laudatis in locis de eversa Vrbe, ac deserta quondam regione commemorat. Quibus positis sciendum est ante illud tempus, quo Plato has leges scribebat Magnesiam ab Sipylo, et quae circum illum montem erant regiones ingenti terremotu, vel eversas, vel summopere labefactatas fuisse. Synchronus fere testis est Aristoteles in II Meteorologicorum cap. VIII, ubi meminit terremotus, quo τὰ περὶ Σίπυλον ἀνετράπη, *quo quae erant circa Sipylum evertebantur*. De eo terremotu meminit etiam Strabo lib. XIII, ubi haec habet: *Quae vero de Sipylo, et eius eversione memorantur non sunt fabulis accensenda; nam et Magnesiam, quae sub eo est, nuper terremotus*

deiecerunt. Quibus verbis clare exprimit Strabo semel, et iterum eam Vrbem terremotibus concussam fuisse, tum suo, quo scribebat tempore, Tiberio imperante, tum antiquitus, ut ex Aristotele probavimus. Hic Peripateticorum Princeps Platoni fere aequalis extitit, qui illum etiam audiverat, ut apud veteres Scriptores memoriae proditum est. Idem vero pluribus editis summi ingenii sui libris supremum diem clausit paulo post Platonem, ut a praestantissimis Chronologis, imprimisque a Petavio constitutum invenies. Optimus itaque habendus testis de terremotu, qui in monte Sipylo evenerat, *et quae erant circa ipsum* everterat, ante quam Plato ad conscribendos Legum libros animum adiiceret. Hinc merito infertur Platonem iis in locis, ubi memorat Magnesiam Civitatem *iterum Deo duce salutem nactam esse, eamque erexisse ipsum Deum, ut iterum incoleretur quae prisca hominum propulsione facta diu deserta fuerat*, non de alia, quam de Magnesia ab Sipylo sermonem instituere.

Quod si quis contendat Magnesiam quoque, quae ad Meandrum sita erat, non semel eversam fuisse, et in alium locum translatam; nam ex Strabone lib. XIV constat hosce Ioniae Magnetes a Treribus olim funditus deletos, quae gens Cimmerica erat, de quorum expeditione meminit Callinus: Archilochum vero posteriorem aliam ipsorum calamitatem deflere; demum in eorum antiqua Vrbe extitisse Fanum Didymenae Matris Deum, quod ex Thessalia viderentur profecti, ubi Didymi montes, et Didyma Virgo, de qua extant Hesiodi versus; in nova vero Vrbe suo tempore, quo scribebat Strabo Fanum Didymenae Matris Deum amplius non extitisse, sed Dianae Leucophrinae, de quo supra mentionem fecimus. Ad haec facilis, vera, et expedita patet responsio: Themistoclem nempe centum fere annos, ante quam Plato Libros Legum conscriberet eam Vrbem a Xerse Rege Persarum

dono accepisse, ut ei panem praestaret. Eo autem tempore, quo Magnesiam Ioniae a Xerse Rege acceperat Themistocles, illam iam tum in campo iacuisse iuxta Thoracem montem, qui erat omnium Asiae Vrbium frumento feracissimus, eodemque in loco, quo pariter illam Strabo suo tempore sitam fuisse describit. Archilochus jambici carminis inventor, patria Lacedaemonius, ut quibusdam videtur, vel, ut aliis ex Insula Paria, ut etiam alibi dictum est, quique postremam, posterioremque altera a Callino memoratam Vrbis Magnesiae eversionem deflet apud Strabonem, ut paulo ante vidimus, poeticae laude florebat circa annum V.C.Varr. LIV, ante X. DCC, ut Chronologi statuunt, praeeunte Petavio ex Clement. Alex. I. Stromat, aliisque monumentis. Decessit Plato conscriptis XII libris de Legibus, aliisque aureae suae eloquentiae, et ingenii operibus cum esset annorum LXXXI anno V. C. Varr. CDVI. A X. CCCXLVIII, ut ex calculis, qui apud Chronologos instituuntur clare infertur. Vides ergo a postrema eversione Vrbis Magnesiae, quae ad Meandrum, eiusque instauratione, sive a nova sede constituta iuxta Thoracem montem, et fluvium Meandrum, etiamsi id sero, et intra annos quinquaginta evenisse statuas, ad Platonis tempora, quibus libros suos de Legibus scribebat, annos non minus, quam CCC intercessisse, ideoque ab eius narratione plane excludendam esse Magnesiam Ioniae, ac difficultates paulo ante propositas nullius momenti habendas esse.

His adde Pausaniam in Atticis lib. I. testari a filiis Themistoclis in arce Athenis statuam Artemidis Leucophrines dedicatam fuisse, ea de causa, ut idem subiungit: *Magnetes enim, quibus ex Regis liberalitate imperavit Themistocles Leucophrynen Dianam colunt*. Meminisse autem oportet hanc Deam Leucophrynen ex recitato paulo ante Strabonis testimonio in novae Vrbis Magnesiae Tem-

plo celeberrimo extitisse. Quod si iterum obiicere lubeat in nova Vrbe, eodem Strabone teste, Didymenae Matris Deum fanum non extitisse, et tamen ibidem eundem asserere *Didymenae Matri Deum nonnullos existimare Themistoclis uxorem, alios vero filiam eius sacram fuisse*, nihil sane proficiet. Nam ea si quid probant, probant tantum fanum Didymenae Matris Deum ab Argonautis in Didymis montibus aedificatum, ut in veteri historia adnotatum lego, etiam postquam Magnesienses in campos iuxta Thoracem montem translati fuerant, quod tam longe ante Themistoclis aetatem evenisse probatum est, diu adhuc stetisse in Didymis, donec sensim eius celebritas imminuta sit, ac substituto in nova Vrbe a Magnesiensibus Leucophrynes Deae Templo, alterius fama una cum ipso fano interierit. Strabo enim de suo tempore loquitur, ut iis verbis clare indicat: *Nunc autem fanum non stat*. Scribebat autem Tiberii tempore, et circa annum V. C. Varr. DCCLXXII, ut ipse in eodem libro testatur. Themistocles exulabat anno ante X. CDLXXI. V. C. Varr. anno CCXCI, annos nempe CDLXXIX, ante quam Strabo libros suos conscriberet. Quid mirum ergo, quod translata Vrbe Magnesia apud Meandrum fluvium, tanto temporis intervallo Didymenae Matris Deum memoria, et fanum extincta sint. Equidem in nummis Magnesiae, de qua loquimur, quorum etiam copia abundamus, nulla unquam mentio occurrit eius Deae, nec in alterius cuiuslibet Vrbis moneta. Quod si Themistocles anno centesimo ante quam Plato suos de Legibus libros scriberet, Magnesiam habitandam accepisset a Xerxe, quae adhuc esset in Thessalia in montibus Didymis, cum vita functus fuerit VIII exulatus sui anno, neque eius filii, a tempore novae Vrbis Magnesiae prope Meandrum constitutae tam longo intervallo remoti, Dianae Leucophrynes statuam dedicare potuissent, ut paulo ante commemoravimus, neque Themisto-

cles Vrbem, camposque a Xerxe dono accipere potuisset, qui frumento prae caeteris feraces essent ad panem eidem suppeditandum.

Alterum argumenti genus, quod ab eisdem Platonis Legum libris duci potest, in coniectura positum est, quod tamen hic omittendum minime censeo. Libro VI sermonem instituens Plato de certaminibus, quae in nova, vel instaurata Vrbe Magnesia exercitationis, et disciplinae gratia, tum in honorem Deorum statis temporibus, propositisque praemiis celebranda erant, eadem in duplex genus distinguit: in gymnasticum, et musicum; rursus utrumque in binas species. De gymnastico necesse non est, ut hic verba faciamus, quoniam ad rem, de qua inquirimus minime pertinet. Alterum statuit ibidem Plato ΠΕΡΙ ΜΟΝΩΔΙΑΝ: *in Monodia, et chori cantu*. Sub monodiae autem nomine intelligit omne genus cantus, qui ab uno fiat sine choro. Tales erant cantus, qui Deorum laudationem continerent, ut Hymni, tales erant, quibus honor Defunctis haberetur, ut Naeniae, ut Threni, eorumque imitationes. Comprehendit etiam sub eo nomine cantum Rhapsodorum, eorum scilicet, qui illustrium Poetarum, ut Homeri carmina excerpta caneret, tum species omnes Tragoedorum, Comoedorum, Citharistarum, Tibicinum, caeterorumque talium, qui sub unica persona unius concentus simplicem sonum, vel cantum ederent. Atque hoc certaminis genus opponit tripudio, caeterisque Musicae modis, quibus in chori ludo exercendi viri, tum etiam pueri, et puellae. En Platonis textus: Μουσικῆς δὲ, ἑτέρους μὲν τὸς περὶ ΜΟΝΩΔΙΑΝ τε, καὶ μιμητικὴν. οἷον ῥαψῳδῶν, ἢ κιθαρῳδῶν, καὶ αὐλητῶν, ἢ πάντων τῶν τοιούτων. *In musica vero, alia in Monodia, idest cantu, et oratione funebri, et imitatione ipsa, sicut Rhapsodorum, Citharistarum, Tibicinum, caeterorumque talium*. Item inferius: *unum quoque in Monodia sufficere arbitramur*.

qui triginta annos expleverit: *ἱκανὸς δὲ καὶ περὶ* ΜΟΝΩΔΙΑΝ ὡς. etc.

Singulis vero huiusmodi certaminibus eligendos praescribit, qui singulis annis praesint, qui sint etiam Auctores, Declaratoresque munerum. Atque inter hos ludorum praesides addit unum designandum esse, qui secundum leges Princeps esse debeat, decernitque: *hunc magistratum omnium in Civitate summorum magistratuum esse praestantissimum*. Ibidem autem, et sequentibus pariter libris VII. VIII. et XI saepe commemorat Plato cantus, et Tripudii genera Diis omnia consecranda esse, lege quoque sanciendum, quibus solemnitatibus, atque temporibus Chori, ludique Musici, et certamina instituenda sint: definiendum etiam quomodo eadem disponenda, et utrum in tertium, aut in quintum quemque annum fieri debeant: Praemia item constituenda, quae singulis victoribus distribuantur, tandem paenae, et mulctae infligendae iis Auctoribus, qui Jambica, vel musica, melodia, verbo, aut imagine cuiquam civium detrahere audeat. Statuit autem eos, qui deliquerint, vel eodem die exterminandos, vel tribus minis mulctandos, Deo, in cuius honorem certatum fuerit, consecrandis.

Quid porro ex hactenus praemissis in rem nostram inferri posse videatur perspicuum fiet, postquam de quibusdam Magnesiae nostrae nummis dictum fuerit. Vaillantius in nummo Gallieni cum eius capite huiusmodi partem aversam describit: ΕΠΙ CΤΡ ΑΥΡ ΦΡΟΝΤΩΝΟC ΜΑΓΝΗΤΩΝ CΙΠ. *Sub Praetore Aur. Frontone Magnetum Sipyli*. Vrna, in qua inscriptum legitur ΟΛΥΜΠΙΑ, idest *certamina Olympia*, ab eademque urna superne emergunt bini palmarum rami, atque hunc ex suo Museo. Alterum vero subiungit Regium huic similem prorsus cum hoc uno discrimine, quod loco Olympii certaminis in urna vocem inscriptam refert ΕΝ ΜΟΝΗΔΕΚ, quam

ipse interpretatur ΔΕΚΑ ΕΤΗΡΙΚΑ idest *decennalia*, subdens alios legere ΕΝΝΟΝΙΔΙΑ, sed *sine sensu*. Cl. Pellerinius Pop. T, III pag. 121 delineatum exhibet huiusmodi Alexandri Severi nummum. In anteriori parte cernitur caput Alexandri Severi laureatum cum epigraphe Α. Κ. Μ. ΑΥΡ. CЄV. ΑΛЄΞΑΝΔΟC. In posteriori vero haec in medio coronae inscripta leguntur

ΕΝ ΜΟ
ΝΙΔЄΙΑ
ΜΑΓΝΗ
ΤΩΝ CI
ΠVΛΟV

In ambitu vero nummi ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΑVΡ. ЄΡΑΞЄΙΝΟV. Eodem autem in libro pag. 246 Gallieni alterum cum urna similem prorsus allato paulo ante ex Vaillantio, in quo tamen pariter legit ЄΝ ΜΟΝΙΔЄΙ. Binos alios eiusdem Gallieni vide apud Sestinium Descript. Num. Vet. pag. 429. In utroque autem cum eadem certaminum epigraphe ЄΝ ΜΟΝΙΔЄΙΑ, diversi sunt praetores, sub quibus editi nummi, unus sub eodem *Frontone*, de quo supra, alter vero *sub Aurelio Longino*. De interpretatione Vaillantii, qui voce ЄΝ ΜΟΝΗΔЄΚ decennalia certamina exprimi putabat iam diximus. Pellerinius initio citati libri Pop. III pag. XXVI censet eo vocabulo Magnetes significare voluisse se solos suis sumptibus eos ludos exhibituros. Sed merito utramque respuit Eckhelius Doctr. N. V. T. III pag. 107. Ac revera lectio subsequentium quatuor, primae illi Vaillantii anteponenda, explicationem omnino excludit de ludis decennalibus. Altera Pellerinii falsa plane evincitur eo, quod aliae quoque Vrbes suis sumptibus, statisque temporibus ludos ederent. Quod si contendas, alias quascunque Vrbes, sine aliarum subsidio publica certamina celebrare non potuisse, nec unquam edidisse: ex hoc ipso refellitur Pellerinii coniectu-

ra. Nam si celebriores Vrbes, primique ordinis, divitiis, rerumque omnium abundantia, ut Ephesus, Smyrna, Corinthus etc. florentissimae, tantum oneris ex se ipsis sustinere non poterant, quid quaeso cogitandum de Magnetibus nostris longe inferioris ordinis, qui certe opibus certare haud poterant cum primariis, atque opulentissimis Asiae Civitatibus? Ex quo sane incredibile fit eam Vrbem tam ambitiosa edendorum certaminum epigraphe uti vel voluisse, vel potuisse. Merito igitur, ut diximus, Cl. Pellerinii opinio ab Eckhelio respuitur. Verum ipse etiam dum alteram eius vocis explicationem substituere conatur, nihil magis profecisse mihi videtur. Neque enim ea voce locus designari putandus est, in quo certamina ineunda essent, quemadmodum id exprimunt in aliis nummis voces ЄΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ, ЄΝ ΚΟΔΡΙΓΑΙΣ, quibus exemplis utitur Cl. Vir, ita ut cum eo nec leviter suspicari queat eius vocis sensum esse *ludos illos celebratos fuisse in loco vicino Monidea dicto*. Nam in utroque allato exemplo praeter Vrbem, locumque, additur etiam genus certaminum, quae ibidem celebranda erant. In nummis Philippopolis habes ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΑΛЄΞΑΝΔΡΕΙΑ, et saepe etiam addita ΠΥΘΙΑ ЄΝ ΦΙ, vel ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. Rursus ΚЄΝΑΡЄΙCЄΙΑ ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ, quae numismata ab ipso met Eckhelio in suo praeclaro opere Doctr. N. V. afferuntur. De ΚΟΔΡΙΓΑΙΣ vero in duobus Tarsi nummis Severi additur ЄΝ ΚΟΔΡΙΓΑΙC ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ CЄVΗΡЄΙΑ ΟΛVΜΠΙΑ ЄΠΙΝЄΙΚΙΑ, qua ratione profecto exprimitur locus *in finibus Cilicum*, in quibus edenda erant certamina ibidem descripta. Nunc vero praeeunte Cl. Visio ex Malela certiores etiam facti sumus, quid expressius nomine ΚΟΔΡΙΓΑΙΣ intelligendum sit. Scribit enim laud. Auctor in Chronogr. pag. 407. Diocletianum Antiochiae stadium pro ludis Olympicis aedificasse, ne certantes in Oppidum *Cotrigas* Ciliciae se conferre

deberent, quod ad ripam Argyri fluminis positum erat, non longe a portis Amanicis, ubi Sept. Severus de Pescennio insignem victoriam reportaverat, unde etiam horum ludorum origo. Si vero uberiora etiam huiusmodi exempla requiras, adire oportet vetusta lapidum monumenta apud Gruterum, Muratorium, Pridaeum, apud quem nominatim videndus lapis sub. Num. III pag. 70 vet. edit., et apud Sponium pag. 364, et seqq. ubi pene omnia certaminum genera cum adiectione loci descripta invenies, in quibus victores extiterant Athletae, ut n. CII;

ΟΛΥΜΠΙΑ ЄΝ ΠЄΙϹΗ
ΠΥΘΙΑ ЄΝ ΔΕΛΦΟΙϹ. Β
ΝЄΜЄΙΑ ЄΝ ΑΡΓЄΙ. Γ
ΙϹΘΜΙΑ Β ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ ЄΝ ΑΘΗΝΑΙϹ Β
ΟΛΥΜΠΙΑ ЄΝ ΑΘΗΝΑΙϹ
ΗΡΑΚΛЄΙΑ ЄΝ ΘΗΒΑΙϹ etc.

Quod itaque in nummis allatis ex Vaillantio, Pellerinio, ac Sestinio cum voce ЄΝ ΜΟΝΙΑΔЄΙΑ nullum iungatur certaminum genus, ut in expositis exemplis, Eckhelii opinio nulla ratione se sustinere potest. Quibus ita se habentibus ipse quidem eandem interpretandam arbitrabar de aliqua peculiari ludorum specie, quae nos hactenus lateret, Modo vero cum in illustrando Ciceronis numismate Platonis libros de Legibus evolvens, invenissem musici certaminis genus ab eo statui ΠЄΡΙ ΜΟΝΩΔΙΑΝ, quo unus tantum carmen aliquod canere dicitur, neque simul cum eo chorus: *Μονῳδεῖν*, inquit etiam Svidas, *λέγεται, ὅταν εἷς μόνος λέγῃ τὴν ᾠδὴν, καὶ οὐχ ὁμοῦ ὁ χορός*. atque ex primo iam explicato Platonis loco satis constare eundem leges scripsisse pro Vrbe Magnesia Lydiae meam illam coniecturam mirifice confirmari sensi, atque in eam etiam facile descendi sententiam, ut putarem vocem, quae in pluribus nummis eiusdem Magnesiae ЄΝ ΜΟΝΙΑΔЄΙΑ, vel ut videbatur Vaillantio ЄΝ ΜΟΝΗ ΔЄΚ

exhibetur, de eodem certaminis musici genere intelligendam, atque supplendam esse, de qua Plato in suis de Legibus libris. Si loco H Vaillantii, vel I, ut alii legunt, substituere oporteret in nummis plerumque vitio aliquo, et labe affectis lit. Ω, res plane confecta esset, atque tunc perspicua omnino, atque Magnesiae Vrbi, de qua agimus, apprime conveniens eorum nummorum interpretatio emergeret, qua nihil aptius, nihil opportunius desiderari posset. Hinc te Cl. Cusineri appello, ut diligentius binos illos ex tuo praeclarissimo Musco a Sestinio descriptos nummos inspicias, et quid revera de eorundem lectione statuendum sit fidem facias. Hinc me in mea coniectura sine iusta cuiuspiam reprehensione manere hactenus mihi fas esse putabo.

Neque enim ad propositam interpretationem quidquam officere arbitror, quod penultima litera loco simplicis I, ut apud Platonem, et ut recta graecae linguae loquendi, et scribendi ratio postularet ЄN MONΩΔIA, in nummis scriptum sit ЄN MONΩΔЄIA, nempe diphthongo ЄI. Neminem enim nostrum latet, sequiori praesertim aetate, tam in nummis, quam in Lapidum inscriptionibus utramque scribendi rationem promiscue usurpatam fuisse. Scriptum invenies de certaminibus, ludisque: AΔPIANIA, et AΔPIANЄIA, EΦEΣIA, et EΦEΣEIA, item EΦEΣHA, AVΓOVΣTIA, et AVΓOVΣTЄIA, KAICAPIA item, et KAICAPЄIA, vel KAICAPЄA, HPAKΛIA, et HPAKΛЄIA, CЄVHPIA, et CЄVHPЄIA, et alia plura id genus, tam in nummis apud Pellerinium praesertim, et apud Sestinium, atque Eckhelium, quam in vetustis inscriptionibus apud memoratos paulo ante Auctores, qui consulendi. Et revera nullum Pellerinio scrupulum attulit, ut vocem IΔЄIA de propriis Magnesiae certaminibus interpretaretur, quamvis id grammaticae leges vetent. Sed nisi quod peculiare, quod

proprium ea vox exprimeret, quemadmodum significat vox ΙΔΙΑ, nulla alia notio ipsi recte aptari posset.

Eo iam ventum est, ut si recte a nobis probatum sit Smyrnaeorum Foedus cum Magnetibus ictum ad Magnesiam Lydiae referendum esse, ut primo loco ex instituto, copioseque demonstrandum curavimus: si praeterea ex libris Legum Platonis, etiam seposita ea coniectura de voce ΜΟΝΩΔΙΑΣ, de qua hactenus dictum est; ex primo illo argumento ab instaurata Vrbe Magnesia deprompum clare pateat Platonem mores, et regiminis formam exprimere voluisse, quae ad Magnesiam pariter Lydiae ab Sipylo spectare dicenda sit, sua veluti sponte sequatur multo maiorem de ea Vrbe opinionem iure modo concipiendam esse, quam quod ex vetustis Scriptoribus, qui supersunt, hactenus nobis constabat. Nam et summae laudi huius Vrbis tribuendum, quod cum Smyrna clarissima tum Asiae Vrbe esset foederata, et in eodem censu, et iure cum eius civibus haberetur, quemadmodum suo loco probavimus; tum vero magno in pretio habenda, quod a Platone Philosophorum Principe tam praeclaro elogio commendari meruerit. Legantur quae apud eundem fuse describuntur de Magistratuum designatione, de censu civium habendo, de equitum, peditumque delectu, de Vrbis, et finium custodia: de exercitationum, disciplinarumque genere: de iudiciis: de Vrbis loco, atque agri feracitate: de Templis, deque Magistratuum Iudicumque palatiis circa forum extruendis, ut in iis quasi sacratissimis locis incorrupta iudicia exerceantur: de re monetaria, de annonae ratione, de domibus, aliisque habitationibus ordinandis, de statuis denique Deorum, sive indigetum Magnesiorum, sive exterorum, atque etiam priscorum Virorum, quibus honores reddendi sint, quibusque ex antiquissima memoria ea signa consecrata fuerint: qui haec, et alia plura id genus apud Platonem le-

gat, procul dubio secum ipse statuet Vrbem Magnesiam legibus, institutis, rerum copia, omnibusque belli, et pacis artibus maxime floruisse, nec inter postremas Asiae reiiciendam, sed cum nobilioribus comparandam. Plura etiam in iisdem Platonis libris de Legibus continentur, quae cum iis praesertim coniuncta, quae in suprascripto Smyrnaeorum Foedere leguntur, plurimum prodesse possunt ad nummi Ciceronis illustrationem; sed ea opportunius sequenti capite afferemus, ubi de symbolis in aversa parte expressis praecipue agendum erit.

Eandem autem Magnesiam, postquam instaurata fuerat, ut ex Platone audivimus, in optimo semper statu usque ad Tiberii tempora perseverasse plura indicio esse possunt. Habuerat Templum omnium vetustissimum Matris Deum, quae a loco Sipylene nominabatur, de quo Pausanias lib. III in Laconicis referens in Oppido Acriae spectatu digna esse Matris Deum Aedem, et e marmore signum, et hoc quidem omnium vetustissimum, quae extarent apud Peloponnesios, statim subdit: *Quoniam Magnesii, qui in Sipyli parte ea sunt, quae ad Aquilones conversa est, super saxo, quod appellant Coddini, signum eiusdem Deae habent longe omnium antiquissimum. Broteam illud Tantali filium fecisse perhibent.* Tantalus autem, ut veteres fabulantur historiae, ex Iove genitus, et Plote nympha Agamemnonis, et Menelai avus extitit, qui bello Troiano interfuerunt. Hinc patet Vrbis antiquitas. Illud Templum aut stetisse in prima eversione dicendum est, aut cum ipsa Vrbe denuo erectum, ornatumque: commemoranda praeterea ad eius laudes celebrandas insignis victoria, quam Cornelius Scipio de Antiocho III Rege prope Magnesiam ad Sipylum reportavit, qua quidem imperii populi Romani terminus mons Taurus est constitutus. Erant in castris regiis, quae Antiochus Phrygium amnem Hermum transgressus circa Ma-

gnesiam posuerat, LX millia peditum, plus XII millia equitum, praeter elephantos, et quadrigarum, quae falcatae erant, atque impedimentorum immensum numerum. Eundem amnem transiit quoque Romanus Consul cum omni exercitu, a quo duos mille fere, et quingentos passus ab hoste posita sunt castra. Ad quinquaginta millia peditum caesa eo die fuisse tradit Livius lib. XXXVII: equitum quatuor millia, mille autem, et quadringentos captos, et quindecim cum rectoribus elephantos. Magnesiam vero, subdit, quae ad Consulem statim legatos ad dedendam Vrbem miserat, a Senatu, ad quem Consulis iussu tam Regis Antiochi, quam omnium Asiae populorum legati venerant, nominatim Eumeni Regi, qui Romanos eo in bello maxime adiuverat cum aliis pluribus datam fuisse. Haec tam illustris Romanorum victoria, qua L. Cornel. Scipio, qui postea Asiaticus dictus est, primo exercitum Romanum in Asiam traiiciens, et P. Scipione Africano fratre apud se legato, Antiochum Regem omnium potentissimum, et Romanis adeo infestum praelio victum, fugatumque pacem iis conditionibus, quas ipse iussisset, petere a Senatu adegit, contigit anno V. C. Varr. DLXIV A. X. CXC, eodem L. Cornelio Scipione, et C. Laelio Consulibus. Anno praecedenti Rex Antiochus, ut idem Livius narrat lib. XXXVI Magnesiam, quae ad Sipylum est, concesserat ad terrestres copias comparandas. Atque haec omnia eo spectant, ut pateat Vrbem Magnesiam ad Sipylum tum per se munitam, atque illustrem fuisse, tum agri ubertate, atque amplitudine floruisse. Non enim eandem Antiochus Rex sibi sedem delegisset ad maximum cum Romanis bellum gerendum, nisi et locorum opportunitate, atque rerum omnium copia, et commeatu abundasset. Post Eumenem Regem, cui Magnesia ad Sipylum data fuerat, ut ex Livio innuimus, Aristonico Eumenis ex

pellice filio, qui Asiam tanquam paternam haereditatem armis sibi vindicare conabatur, reiecto, varios subiit casus, modo Regibus, vel Romanis subiecta, modo etiam suis legibus uti, sive autonomia frui permissa est, donec Mithridate Rege, qui tam difficile, tamque diuturnum bellum Romanis intulerat, a Sylla primum, a Lucullo deinde, a Pompeio tandem devicto, profligatoque, una cum caeteris Joniae, utriusque Phrygiae, Lydiae, Moesiae, Cariaeque Vrbibus primo paruit Propraetoribus, florente Republica, inter quos fuit Q. Cicero M. frater, deinde post divisionem provinciarum ab Augusto factam, Proconsulibus, qui a Senatu in Asiam provinciam sortito mittebantur. Non hic tamen omittendum ad Magnesiae nostrae decus, Pausaniam bellicas ipsius laudes celebrare, quae ad suprascripti Mithridatis tempora referuntur. In Attic. enim lib. I pag. 47 narrat hos Magnetes, favente ipsis Minerva, Archelaum Mithridatis Eupatoris Ducem fines eorum incursionibus vastantem, vulneratum repulisse, magnamque Barbarorum stragem edidisse. Ac ne dubites Pausaniam de Magnetibus nostris loqui, vocantur ab eo graece *Μάγνητες οἱ τὸν Σίπυλον οἰκοῦντες* *Magnetes qui Sipylum incolebant*. Hinc iure quoque statuendum censeo Magnesios, quos referente Appiano Alex. de Bell. Mithrid. edit. Amstelodam. pag. 355, *Sylla cum Rhodiis, Lyciis, aliisque populis in solatium malorum, quae in bello Mithridatico propter studium erga populum Romanum pertulerant, libertate donatos adscripsit inter Romani populi socios*, non alios fuisse, quam qui ad Sipylum pertinebant. Et ad hoc pariter ipsorum studium erga Romanos respexisse Strabonem, ubi lib. XIII Lydiae Vrbes recensens ait: *Haud procul his Vrbibus, et Magnesia est sub Sipylo, quae libera iudicata est a Romanis. Hanc et terremotus ii adflixerunt, qui nuper extiterunt*. Antiquitus etiam Magnetes Vrbem suam strenue defenderant, cum

Gyges Lydorum Rex ipsis bellum intulisset, quod Magnetem Smyrnaeum puerum formosissimum, sibique dilectum iniuriis affecissent, eam ob causam, quod cum Lydorum laudes cantu celebraret media in Vrbe Magnesia, ipsos cives Magnetes silentio praetermisisset. Diu multumque obsidionem Regis sustinuerant, nec nisi aegre tandem eam Vrbem ceperat Gyges, de qua victoria reversus Sardibus magnificum egit triumphum. Quae omnia a Svida, aliisque vetustis Scriptoribus referuntur.

Sub Romanis Principibus florentem ipsius statum maxime probant rei monetariae delectus, et copia, de qua hic breviter praecipua quaedam delibanda. Quo ad copiam paucissimae sunt Vrbes apud Vaillantium de Num. Graecis Popul. et Vrb., quae illam superent; Sestinius vero in postremo suo libro Descript. Num. Vet. ex duobus tantum Museis Ainsliano, et Cusineriano ex autonomis, et Imperialibus huius unius Vrbis numerum LIX percensere potuit. Sed de eorum delectu modo loquendum: insignis est nummus Augusti apud Sestinium, quem etiam supra cap. III. ea de causa cum aliis quibusdam commemoravimus, ut de tempore constaret, quo Ciceronis nummus a Magnetibus emitti potuerit. Eius lectio caeteris similibus Vaillantii, aliorumque merito anteponenda sic habet: in anteriori parte ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ, et capita exhibentur Augusti, et Liviae iugata; in aversa vero capita Caii, et Lucii sunt adversa cum epigraphe ΕΠΙ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΚΙΛΛΙΔΙΑΝΟΥ ΙΕΡΕΩΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Omnia assentatione plena erga Augustum, eiusque Familiam, quae in hoc nummo exhibentur: titulus *Augustae*, quem sibi adscribit Magnesia, Cillidiani *Sacerdotis* alter, tum singula quaelibet capita domus Augustae, quae ex signis in foro a Magnetibus positis ad benevolentiam Augusti sibi conciliandam deprompta fuis-

se in nummo Agrippinae, et Caii Caligulae verisimillimum esse patebit.

Spectabilis alter Tiberii, quem pariter cit. superius loco memoravimus, ita inscribitur:

ΤΙΒΕΡΙΟΝ CΕΒΑCΤΟΝ ΚΤΙCΤΗΝ Caput Tiberii laureatum.
ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΟ CΙΠΥΛΟΥ. Genius Vrbis turritus, et Imperator ex adverso stantes dextras iungunt, Pellerin. Mel. II. pag. 21.

Praeter Strabonem, cuius verba supra attulimus, scribit Tacitus Annal. lib. II. cap. 47. de Sardibus loquens terremotu subversis: *Centies sestertium pollicitus Caesar, et quantum Aerario, aut Fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnesii a Sipylo proximi damno, ac remedio habiti*. Quod itaque Tiberius Magnesiam terremotibus labefactatam sublevasset cives illi suum velut Vrbis Conditorem iactant. Romae quoque ea de causa Tiberio colossum medio in foro cum divinitatis symbolis erectum fuisse constat, tum etiam nummum editum idem simulacrum exhibentem sub eius Tribun. pot. XXIIII, sed quod plurimas Asiae Vrbes terremotibus eversas, non unam Magnesiam sua impensa sublevasset, ut etiam adiecta aversae nummi partis epigraphe testatur: CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS. Itaque magna in laude Magnetum ponendum est, quod silentibus caeteris Vrbibus, soli pecunia publica se tanti beneficii memores erga Benefactorem suum declaraverint. Quo ad numerum Vrbium attinet, quae corruerant, et Tiberii liberalitate restitutae fuerunt: lapis Puteolanus XIV memorat, Tacitus, et Plinius XII; sed id factum fuisse videtur, quod Ephesus, et Cibyra non eodem anno, sed paulo post disiectae fuissent.

Septennio postquam primus ille terremotus in Asia evenerat Annal IV ad An. V. C. Varr. DCCLXXIX scribit Tacitus Romam venisse XI Vrbium Asiae legatos

pari ambitione inter se certantes, qua nam in Civitate Templum Tiberio statueretur, atque inter eos Magnesiae quoque legatos recenset. Id in maximam laudem Magnesiae nostrae redundare puto. Nam eo in loco Tacitus praemittit: Quod singulae Vrbes *non multum inter se distantia memorabant, de vetustate generis, et studio in populum Romanum per bella Persi, Aristonici, aliorumque Regum*. Ex quo elucet summa etiam Magnesiae nostrae fides, cura, et diligentia, qua semper de Republica benemereri studuerat, quod maxime intelligendum de Augusto etiam, eiusque successore Tiberio, a quo recens sublevata, et in pristinum splendorem restituta fuerat. Quamvis vero subiungat Tacitus Magnesiam *transmissam fuisse, ut parum validam*, illud idem etiam affirmat de Hipaepenis, et Trallianis, quae erant eiusdem Lydiae Vrbes imprimis nobiles, tum vero etiam de Laodicenis eiusdem Asiae minoris Vrbe Lydiae proxima, quae stante quoque Republica, clarissima extitit, et omnibus copiis abundans, ut a Cicerone apellatur in Epist. ad Attic, in qua forum Cibyraticum, et Apamense idem ipse habuerat. Non alia igitur de causa a Tacito has Vrbes *parum validas* appellatas fuisse manifestum est, nisi quia cum primariis, atque omni opum genere praestantioribus, Smyrna nempe, Epheso, et Pergamenis ea habebatur contentio. Adde denique ipsum Tacitum Magnesiam nostram inter celebres Asiae Vrbes recensere. Nam lib. II Annal. cap. XLVII de terremotibus, de quibus hactenus egimus, verba faciens, haec habet: *Eodem anno duodecim celebres Asiae Vrbes conlapsae nocturno motu terrae, Sardes, Magnesia etc.* Magnesia pariter in marmore Puteolano quod, ut arbitror, ex basi ad Colossum Tiberii posita, depromptum, secunda post Sardes, nomine, et figura stante exhibetur. Atque haec iustae defensionis causa dicta sint de Vrbe Magnesia, in qua ornanda, eiusque laudibus

recensendis versamur. Nam Cl. Eckhelio Doctr. Num. Vet. T. III pag. 108, ubi nummos Magnesiae Lydiae recenset, haec de calamo exciderunt verba: Magnetes *per contemptum* parum validos vocatos a Tacito. Idem ipse tamen Laodicenam praesertim Vrbem summis laudibus effert in lib., cui titulus: Nummi Vet. pag. 250, et seqq.

Subiiciendum modo eximium numisma, quod extat apud Haymium Thesaur. Brittan. Parte altera Tab. XXVII. num. 5. In eius anteriori parte exhibetur caput Caligulae radiatum cum epigraphe ΓΑΙΟΝ ΚΑΙCΑΡΑ CЄΒΑCΤΟΝ; ex altera vero simulacra Germanici, et Agrippinae senioris, quae Caio imperante iam e vivis excesserant: et ille quidem stat velato capite dex. pateram gerens, Agrippina vero sub Cereris figura hastam tenet sinistra, dextra autem duas spicas. Inscriptio sic se habet ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΝ ΚΑΙ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ; literis vero perpendicularibus inter utrumque simulacrum sic:

ΑΓ
Μ
Α
ΠΡ
CΙ
ΠΥ

Emendanda lit. P in quarta linea, atque substituendum O, ut in duobus aliis similibus apud Sestinium Descript. Num. Vet. pag. 426. Apud eundem autem Sestinium loco monogrammatis ΑΓ legitur simplex A, atque in interpretatione postponitur literae M, ac de Magnesia explicatur, quod tamen ordo ipse, et literarum dispositio vetat. Multo itaque castigatius ab Haymio exhibetur, qui etiam testatur suam hanc monetam in literarum dispositione aliquantum a Morelliana diferre, ex quo iure inferes Haymium suam magis integram nactum esse, atque ad archetypum exemplar recte delineatum fuisse.

His positis qui mecum animadvertat Caium Caesarem Caligulam vix ad imperium evectum nihil antiquius habuisse, quam ut in Pandatariam Insulam se conferret ad Agrippinae matris suae cineres quamprimum in Vrbem transferendos, eosdemque per Tiberim subvexisse turbido coelo, quo magis eius pietas explendesceret, et in Caesarum Mausoleo condidisse: qui praeterea perpendat annuas in eius honorem inferias, circenses, carpentum in pompa traducendum decrevisse, numismata omnis generis ad eius memoriam recolendam, totidem etiam Germanico patri eiusdem rei causa edidisse, facile consentiet Magnetes, quorum studium ad omnes captandas occasiones, ad gratiam Principum Romanorum sibi conciliandam: rursus ex iis, quae paulo ante de Augusti nummo cum Liviae, et filiorum imaginibus, de altero Tiberii ab ipsis edito cum titulo *Conditoris* dicta sunt, tum quae ex Tacito constant de contentione Asiaticarum Vrbium pro Templo eidem imperanti Tiberio erigendo; denique quod Magnetes ex Smyrnaeorum Foedere in more positum habebant, ut Deorum, Regumque statuas in foro consecrarent, aliaque id genus plurima considerabit, quae superius de eadem Vrbe commemoravimus, facile, inquam, consentiet figuras, quae in aversa parte descripti nummi conspiciuntur, binas statuas, sive signa repraesentare Caii Caesaris parentibus medio in foro erecta, nummumque ad eius rei memoriam emissum fuisse.

Idpsum ex eo nexu, sive monogrammate ΑΓ, quod superne additum est, satis commode designari puto. Neque enim de Magnesia interpretandum, ut paulo ante diximus, neque frustra, et sine causa positum fuisse cogitandum est. Significat autem ΑΓΑΛΜΑ, sive ΑΓΑΛΜΑΤΑ, ut ego quidem arbitror, quae vox aptissime indicat statuas, simulacra, donaria Germanico, et Agrippinae apud Magnetes consecrata, eorumque memoriam, ut plerum-

que a Graecis Vrbibus fieri consueverat, publica quoque sua pecunia commendatam. De ea voce habes exempla apud Herodotum in duplici antiquissima epigraphe versibus exarata, in qua dicitur Apollini consecratum ΠΕΡΙΚΑΛΛΕΣ ΑΓΑΛΜΑ, item in altera Naniana, quam unus prae caeteris omnibus egregie explicavit eruditissimus Edvardus Corsinus, quem gratae, iucundissimaeque memoriae causa nomino, nam ille me senex iuvenem dilexit, ipsum ego, ut par erat, summo semper in honore habui. In ea recte legebat ΑΜΕΝΠΗΕΣ, idest ΑΜΕΜΦΕΣ ΑΓΑΛΜΑ. Hinc integra lectio erit: *Agalma, sive monumentum Magnetum* ΑΠΟ ΣΙΠVΛΟV, qua ratione eam Vrbem se inscribere consuevisse ab Augusti saltem aetate supra iam vidimus. Vtraque figura habet Divinitatis symbola, nec mirum de Agrippina praesertim, quae in nummis Vrbis Mytilenes ΘΕΑ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ, ut et Germanicus ΘΕΟΣ appellatur apud Pellerin. Pop. III p. 229, quaeque insuper in praeclaro Muratorii marmore Thes. p. CCXXVIII n. 1. dicitur ΘΕΑ ΚΑΡΠΟΦΟΡΑ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑ, quo *Carpophorae* titulo velut altera Ceres habita fuisse designatur. Hinc merito iam ex his inferes etiam Tiberio simile monumentum a Magnetibus Sipylenis erectum fuisse, quod alterum veluti suae Vrbis conditorem agnoscerent, quod terremotibus afflictam sublevasset, nec denique a veritate alienum videri posse, quod similem honorem etiam Augusto, totique eius Domui habuerint. Quibus sane confirmari poterunt quae de Magnetum cura commemoravimus in Regum, Principum, et Heroum tam suorum, quam exterorum etiam imaginibus consecrandis, quae, ut indicant leges Platonis, et Foedus Smyrnaeorum, a Magnetibus in ipso foro dedicarentur, eidemque ornamento essent.

Etsi modus iam sit adhibendus in Magnetum rei monetariae delectu percensendo, non tamen omittendum

praeclarum Neronis numisma, in quo Nero Caesar in anteriori parte cum eius capite laureato inscribitur ΖΕVC ΕΛΕVΘΕΡΙΟC *Iuppiter Liberator*, et in aversa parte stat ipse habitu muliebri Apollinis, vel Citharoedi utraque manu porrecta, et elata corollam gestat, taeniis duabus ex humeris dependentibus. Meus est, itemque similis Pellerinii Pop. T. III pag. 238 Tab. CXXXIII n. 8. Sveton. in vita Neronis cap. XX, et seqq. scribit Neronem statim ut adeptus fuit imperium musica imbutum fuisse, et Terpno Citharoedo operam dedisse, eique post coenam canenti in multam noctem assidentem, et ipsum meditari, exercerique coepisse. Prodiisse primum Neapoli, tum Romae Neroneum Agona ante praestitutam diem revocasse, ut cantaret: profectum deinde in Achaiam certamina omnia obiisse, praecipue vero in quibus Musici agones ederentur, et in omnibus cum victor pronuntiaretur coronas Citharoedorum proprias sibi usurpasse. Tragoedias quoque cantasse Heroum, Deorumque: denique statuas suas citharoedico habitu posuisse, eaque nota etiam nummos percussisse. Ex his iure infertur, quoniam Vrbs Magnesia ex Platonis Legibus prae aliis Vrbibus Musica certamina exhibebat ΕΝ ΜΟΝΩΔΙΑ, ad eam Neronem se contulisse, spectaculum sui in ea fecisse, atque victorem praecipue coronatum fuisse ΕΝ ΚΙΘΑΡΩΔΙΑ, et ΕΝ ΤΡΑΓΩΔΙΑ, quae erant species sub Monodiae nomine comprehensae, eaque de causa eidem positas ab illis fuisse statuas habitu Citharoedorum, ut in nummo exprimitur. Quod vero eodem Svetonio teste universam Graecorum provinciam, ubi tot victorias, totque triumphos reportaverat, libertate donasset, non inepto adulationis genere eundem tanquam Iovem Liberatorem inscribunt, quemadmodum ab Atheniensibus idem ΖΕVC rite ΕΛΕVΘΕΡΙΟC vocatus, cultuque honestatus, quod eos suis auspiciis, et patrocinio a Medis liberasset. Extant

etiam nummi eiusdem Neronis cum epigraphe non solum ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ, ut hactenus notum erat, sed etiam in duobus meis ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΚΤΙΣΤΗ, in quo stat ipse conditor certaminum Nero talari veste indutus lyramque pulsat; in aversa vero parte figura victoriae coronam, palmamque gestat. Sed sunt incertae Vrbis, in eodem tamen Oriente ea occasione vulgati.

Mitto caeteros, qui sequuntur ad Gallienum usque, quo tempore ludos tum olympicos, tum ΕΝ ΜΟΝΩΔΙΑ a Magnetibus celebratos ex nummis constare iam vidimus. Ex omnibus autem simul intelligimus praecipua Deorum, Dearumque Numina, quae a Magnetibus colerentur fuisse imprimis Cybelem Matrem Deum; quam ipsi cum Smyrnaeis Matrem Sipylenen nominabant, cuius frequentior prae caeteris mentio in eorum moneta, Iovem etiam, et Cererem, Apollinem, denique Bacchum, de quibus in Smyrnaeorum foedere sermo est, ut reliquos silentio praetermittam.

Ad Hermum fluvium auro turbidum, ut eum appellat Virgilius, sita erat, quem eius etiam nummi exhibent, ipso nomine adiecto. Lucanus lib. VI Magnetes Lydiae nominatim equitandi peritia commendat eo versu:

Et Magnetis equis, Minyae Gens cognita remis.

Erant hi Thessaliae populi a Minyo dicti, de quibus Ovidius lib. VII Metamorph.

Iamque fretum Minyae Pegasea puppe secabant.

Generatim autem Lydos populos in bellis ex equis pugnandi arte antiquissimis etiam temporibus maxime praestitisse memorat Herodotus lib. I, qui Clio inscribitur, ubi ait: Lydorum Gentem ea tempestate, qua Croesus cum Cyro in campo edito, et magno ante Vrbem Sardiensem (erat tum Croesi Regia), de qua Horatius Epist. I: *Quid Croesi Regia Sardis?*), et prope amnem Hermum decertavit, *in Asia nullam fuisse, nec fortiorem*,

nec magis strenuam, ex equisque pugnare, equitandi sane peritam, hastasque praelongas gestantem. Atque haec sunt, quae ex nummis afferenda duxi ad Magnesiam illustrandam: quae si modo cum caeteris omnibus conferantur, quae ex Smyrnaeorum Foedere, atque ex Platone recensuimus, concludendum sane erit Vrbem hanc in omni laudis genere magnopere claruisse, neque postremum locum sibi vindicare in Regum, Principum Romanorum, aliorumque illustrium virorum memoria, atque imaginibus immortalitati commendandis. Ex quo demum sua sponte sequatur nihil esse, quod mirari subeat si Magnetes ipsi a Sipylo M. Tullium Ciceronem de se optime meritum, dum viveret, signo aliquo honestandum decreverint, ex eoque postea nummum etiam miro artificio elaboratum ad seram posteritatem transmittendum curaverint.

Manet adhuc ea Vrbs, et est caput regionis sub Turcarum imperio, supersunt etiam antiquae Arcis vestigia in proximo colle, quae olim ad Palaemagnesiam pertinebat, de qua supra dictum est. Sub Principibus, qui Christianae Religioni nomen dederant, ut ex Notit. Ecclesiastic. patet, erat Episcopalis sub Archiepiscopo Smyrnaensi, eiusque Episcoporum mentio semel, et iterum occurrit in subscriptionibus Concilii Ephesini anni Ærae Vulg. CDXXXI, et Synodi Trullanae VII. Atque huius capitis hic finis esto.

CAPVT II.

Peculiariter hoc capite exponuntur singula, quae in Ciceroniani Numismatis aversa parte continentur. Tum reliqua diluuntur obiecta, quibus a Cl. Viris Pacciaudio, et Eckhelio nummi a se minime inspecti fides, et antiquitas in dubium revocari posse videbatur. Denique leges quaedam, et normae proponuntur ad singulas quasque imagines, vel admittendas, vel reprobandas, quae hactenus M. Tullio Ciceroni adscribi solent.

TAM multa praecedenti capite, tum etiam in superioribus de Magnesiae nostrae laudibus, de institutis, ac regiminis forma dicta sunt, ut iam facilior aditus pateat ad ea apte explicanda, de quibus hoc capite agendum nobis reservavimus. Aversae partis inscriptio ita se habet ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ ΘΕΟΔΩΡΟϹ. De praepositione ΑΠΟ satis dictum est supra, cuius ope nummi γνησιότητα magis, magisque confirmare licuit. Vidimus enim a Cl. Liebio pag. 183 excitata fuisse dubia de ea praepositione contra Spanhemium, et Harduinum, qui lectionem Tristani in nummo Mamaeae de Num. Vrb. pag. 98, admittebant, in quo inscriptum erat ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΟ CΙΠΥΛΟΥ. Nondum enim Liebii aetate in lucem prodierant tot numismata a Pellerinio praesertim, et Sestinio edita, initio facto ab Augusti temporibus ad Alexandri Severi imperium cum eadem praepositione ΑΠΟ, quae Tristani lectionem confirmant. Sequitur articulus ΤΩΝ, quem praemissum fuisse patet ad sedem Magnesiae elegantius exprimendam: *qui ab Sipylo*. Neque desunt illustria de hac re exempla. In meo anecdoto Neronis, in

quo ipsius ad Vrbem Nicopolis Epiri certaminum edendorum causa adventus in navi designatur, ac novo, inauditoque assentationis titulo inscribitur ΕΠΙΦΑΝΙΑ, ipsa etiam Vrbs in adversa parte sibi indito Neronis nomine vocatur ΝΕΡΩΝΟΝΙCΟΠΟΛΙΣ. Η. ΠΡΟΣ. ΑΚΤ. *Neronia Nicopolis, quae ad Actium*. In aliis Neronis iam editis, quos et ipse possideo Vrbis Caesareae in Samaritide legitur ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΩ. ΛΙΜΕΝΙ In altero meo Gordiani sic habetur ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΙΤΩΝ ΤΩΝ ЄΝ ΙΩΝΙΑ. In iis praeterea Antiochiae ad Daphnen ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΝ: in illis Ptolemaidis: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ: denique, ut alia omittam exempla, in similibus ad Callirhoen ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΠΙ ΚΑΛΛΙΡΟΗΙ. Refert quoque Sestinius Descript. N. V. pag. 429 nummos quosdam Magnesiae nostrae, in quibus ΜΑΓΝΗΤΟΥ. CΙΠΥ. vel ΜΑΓΝ. Τ. CΙΠΥ. Nihil itaque in eo articulo inordinatum occurrit, quodque non sit legibus etiam grammaticalibus maxime consentiens.

De signis, ac de nomine ΘΕΟΔΩΡΟϹ modo dicendum. Istud autem inter quatuor symbola ita concinne dispositum est, ut digito veluti commonstret ea signa ad eius dignitates, et sacerdotia designanda non casu aliquo, sed considerate, deditaque opera adiecta fuisse. Tempore foederis cum Smyrnaeis Magnesiae nostrae supremus magistratus, quique ad annum designandum perscribebatur, erat Stephanephorus ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΗΓΗΣΙΟΥ, ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΔΕ ΠΥΘΟΔΩΡΟΥ ΜΗΝΟΣ ΛΗΝΑΙΩΝΟΣ: ita initio foederis. Sed luculentius multo in rem nostram de Magnesiae Stephanephoro loquitur Plato in suis de legibus libris, quae hic iterum commemoranda. Dialogo enim XII postquam supremi Magistratus eligendi in ea Vrbe formam exposuerat, de qua supra dictum est. Ἀρχιερέα δὲ, subdit, ἕνα κατ' ἐνιαυτὸν, τὸν πρῶτον κριθέντα τῶν γενομένων ἐκείνῳ τῷ ἐνιαυτῷ τῶν ἱερέων, καὶ τοὔνομα ἀναγράφειν

τούτου κατ' ἐνιαυτὸν, ὅπως ἂν γίγνηται μέτρον ἀριθμοῦ τοῦ χρόνου ἕως ἂν ἡ πόλις οἰκῆται. *Priucipem autem sacerdotum unum esse quolibet anno, eumque, qui primus renuntiatus fuerit ex iis, qui illius anni erunt sacerdotes. Huius vero nomen perscribendum esse ad tempora designanda, dum Civitas habitabitur.* Hunc addit praeter sacerdotia, quibus praecedentibus annis fruebatur, in iisque excelluerat, perpetuo Solis, sive Apollinis sacerdotem declarandum, atque laureae coronae gestandae potestate perpetuo frui debere, quod idem est, ac si dixeris eum Stephanephorum renuntiatum. Quibus praemissis nostram iam de nomine Theodori, ac de symbolis eidem adiectis explicationem afferamus. Mea coniectura est, quam non inepto prorsus fundamento niti arbitror: nomine Theodori primum, praecipuumque Vrbis Magnesiae ab Sipylo Magistratum designari, qui Stephanephori dignitate fruebatur eo anno, quo numisma Ciceronis editum, quo quidem magistratu, ut ex Smyrnaeorum foedere, tum ex Platonis legibus probatum est, Magnetes nostri acta publica, foedera, ac caetera id genus monumenta signare consueverant. Cum autem, ut paulo ante vidimus, annuus Stephanephorus ex eorum ordine eligeretur, qui annis praecedentibus erant sacerdotes, eique sic electo altera insuper dignitas iungeretur sacerdotii Solis, sive Apollinis: singula haec munera, honores, et sacerdotia clare satis expressa puto iis symbolis, quibus interiectum cernimus Theodori nomen. Corona ex fronde virenti ipsum Stephanephorum ostendit, lauri ramus Solis, sive Apollinis sacerdotem, caetera duo symbola Cereris, et Bacchi sacerdotia innuunt, quibus idem Theodorus antea initiatus fuerat. Cum autem de primis duabus dignitatibus res sit perspicua, de reliquis idem iure inferre debemus.

In Gruteri Thesauro pag. CCCIX. 1 vetus inscriptio graeca habetur, in qua legitur: *Conventum Mystarum, sive sacerdotum magnae Deae Legiferae Cereris Metrodorum Hermogenis fil. Metrodori Nepotem Matris Deum sacerdotem pronunciasse coronam gestantem*, sive, ut graeco verbo scribitur ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ.

Η. ΣΥΝΟΔΟΣ. ΤΩΝ. ΜΥΣΤΩΝ. ΤΗΣ. ΜΕΓΑΛΗΣ ΘΕΑΣ. ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΥ. ΔΗΜΗΤΡΟΣ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΝ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ. ΤΟΥ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. ΜΑΤΡΩΟΝ ΣΥΜΜΑΡΤΥΡΑΣ. ΤΟΝ. ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ.

Sponius quoque Voyage T. III pag. 93 Lampsaci se vidisse testatur Lapidem, in quo ΤΟΥ. ΙΕΡΕΩΣ. ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΙ. ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. ΤΟΥ. ΣΥΜΠΑΝΤΟΣ. ΑΥΤΩΝ. ΟΙΚΟΥ. *Sacerdotis Augustorum, et Stephanephori universae ipsorum Domus*. In ea demum, quam affert ex Cupero Vandalius Marm. Graec. Diss. V de Stephanephoris Cap. I fol. 380 habes, Marcum Aurelium Charidemi fil. Iulianum bis Asiarcham, et Stephanephorum, et Neocorum Augustorum, et Dei Bacchi: ΔΙΣ ΑΣΙΑΡΧΑΝ ΚΑΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ ΚΑΙ ΝΕΩΚΟΡΟΝ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΙ ΒΑΚΧΟΥ ΤΟΥ ΘΕΟΥ. Haec tantum in rem nostram selegimus exempla, cum alia plura extent apud laud. Auctores, tum etiam in nummis eiusdem Lydiae, ut videre est in iis Hyrcaniae, et Maeoniae; et si fides habenda Harduino, et Vaillantio, etiam in Magnesiae nostrae moneta.

In allatis itaque inscriptionibus cum Stephanephori dignitate honores alios, et sacerdotia coniuncta vides, quae si symbolis exprimenda forent typum non absimilem haberemus ei, quem exhibet Ciceronianum Magnetum numisma: Theodorum nempe, cuius sumptibus tum signum aliquod fortasse in foro renovatum, tum nummus ad M. Tullii memoriam immortalitati commendandam

percussus fuit, non modo eo anno Stephanephori dignitate, et Apollinis sacerdotio auctum fuisse, sed iam antea ex spicarum symbolo sacris Carpophorae Cereris, et ex uvae racemo iis etiam Bacchi praefuisse, quae duo pariter numina inter suos Praesides Deos a Magnetibus censebantur. Ex eo autem, quod quatuor illa symbola manus clausa retineat, ab eaque veluti in unum colligata emergant, profecto intelligimus nihil aptius ab Artifice rei exprimendae causa excogitari potuisse. Vt enim nomen symbolis interiectum ea ad illud referendum indicat; ita signa illa una manu retenta ostendunt id quod exprimunt, ad unum Theodorum pertinere. Atque illud etiam hic demum animadvertere praestat: numisma, de quo agimus, ex eorum genere esse, quae in lucem ob peculiarem aliquam causam a primario Vrbis magistratu veluti extra ordinem edebantur, quemadmodum de nummis Tripolitarum Cariae cum Traiani simulacris a Theodoro primario pariter eius Vrbis magistratu nova, et extraordinaria sese offerente causa percussis, tum de iis similiter Antinoo consecratis, supra iam verba fecimus. Hinc haud mirum videri debere, si etiam peculiarem, diversumque a communibus Magnesiae Vrbis nummis typum, et symbola exhibeat.

Quibus iam demonstratis aversae partis explicatio veritati profecto magis consentanea videri poterit, quam eorum, qui nomine Theodori Monetarium agnoscebant, ut Faber, sive quis alius est illustr. imaginum Fulv. Vrsini Commentator, inaudito prorsus in re veteri monetaria exemplo, quique praeterea symbola seiungens, partim ad ipsum Ciceronem, partim vero ad ubertatem, laetitiamque Provinciae, cui praeerat Q. Cicero referenda censebat. Nam etsi Catilinae coniuratione extincta, et patria conservata Cicero in suo Consulatu civicam coronam, ut illi exponunt, sibi promeruisset, nusquam

tamen legimus eidem decretam, eiusque gestandae potestatem ipsi factam fuisse. Ex eorum temporum fastis unum illud compertum habemus Ciceronem sententia Q. Catuli Principis Senatus: *parentem patriae* appellatum fuisse. Neque praeterea civica corona ex laurea fronde constabat, sed ex quercea, de qua Virgil. VI Aeneid.

Atque umbrata gerunt civili tempora quercu.

Deinde quod sequitur signum non est oleae ramus, ut ipsis videbatur ad pacem in Asiae provincia constitutam designandam, quod ipsis ita visum puto, ne duo symbola eiusdem frondis frustra agnoscere cogerentur, sed est revera lauri ramus, nihilque differt a coronae frondibus. Quare hic merito notandum duplex hoc symbolum ex eadem lauro, quod nullus sane adulterinae mercis callidus Artifex iterandum putasset, numismatis authentiam mirifice modo confirmare, cum ex allatis monumentis aptam habeamus explicationem, qua nulla magis idonea desiderari potest. Nam Theodorus, qui ut Magnetum Stephanephorus virenti perpetuo fronde coronatus incedere debebat, simul etiam ex Legibus Platonis esse debebat Solis, sive Apollinis sacerdos, quod lauri ramo exprimitur. Nam, ut idem Virgil. Ecl. VII 61.

Formosae Myrtus Veneri, sua laurea Foebo.

Notissima quoque sunt symbola Deae Cereris, et Bacchi. Prima enim, ut apud Ovid. Amor. III habet

Flava Ceres tenues spicis redimita capillos.

De Baccho vero rursus Virgil. Ecl. cit.

Populus Alcidae, gratissima Vitis Iaccho.

Quamquam autem haec magistratuum, et sacerdotum per symbola designandi ratio nova apud Graecos, atque inusitata videri possit, non tamen rei exprimendae minus apta, aut etiam ab ingenio, institutoque Graecarum Vrbium prorsus aliena putanda est. Ac primo quot sunt quaeso in hoc genere graecorum numismatum figu-

rae, animalia, instrumenta, aliaque symbola in aversa eorum parte insculpta, quae nova in dies accidunt, quin tamen ex hoc de eorundem numismatum antiquitate dubitandi argumentum sumamus? Non ne si uberrimam harum graecarum mercium segetem a praeclarissimis Viris hactenus vulgatam percurramus saepe eveniet, ut in aversas numismatum facies incidamus, quae explicationem adhuc desiderant, quarum etiam, aut incerta, aut non omnibus adhuc probata affertur interpretatio? Quorum propterea nummorum si novitas, aut in aversae partis symbolis exprimendis inusitata ratio in causa esse deberent, ut illi in suspicionem vocarentur, quantus quaeso eorum numerus ex museis demendus foret, quin tamen de eorum antiquitate fas sit dubitare? Adi si lubet unius Eckhelii praestantissimum opus de Doctr. N. V. ubi plura huius rei exempla reperies.

Sed modo symbola, de quibus sermo est, ab usu etiam, institutoque graecarum Vrbium, non plane esse aliena probemus. Quamquam enim graeca numismata frequentius offerant ipsa Deorum, Dearumque simulacra, statuas, imagines, figuras; persaepe tamen nuda etiam tantummodo exhibentur in iis symbola, notae, signa, quibus Vrbes ipsae significarent se iis numinibus obsequium praestare, addictasque esse, quae iis symbolis exprimebantur. Quot sunt quaeso nummi, in quibus Iuppiter fulmine tantum, vel aquila designatur? Noctua Pallas, Iuno pavone, Luna bicorni, vel arcu, et pharetra Diana, tripode, vel lyra Apollo? Idemque dicito de caeteris Diis, quorum symbola in eundem finem nummis expressa cernimus.

Atque ut ea etiam afferamus exempla, quae propius rem nostram attingunt: de corona primo loco Ciceroniani nummi extat praeclara Antiochiae Syriae ad Orontem signata moneta cum capite Augusti, in cuius

aversa parte, et in medio coronae laureae inscriptum legitur ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. *Pontificiam coronam Antiocheni*. Ingens praeterea superest numerus similium numismatum cum SC in medio laureae coronae, et in anteriori parte cum epigraphe, vel graeca, vel latina ab ipso Augusto ad Philippum Caesarem usque, et Aemilianum ex duobus meis anecdotis, cum hactenus editi ad Elagabali tempora tantum perveniant. De primo allato nummo non una est Eruditorum sententia. Plerique illum de Pontificatu Maximo Augusti, et Pontificia corona ipsi ab Antiochenis per aliquot annos oblata interpretantur. Alii vero de summo sacerdotio Antiochenorum, ad quam dignitatem illius populi suffragiis Augustus fuerit electus. De reliquis nummis nihil explorati habemus apud Auctores. Illud hic pro certo tenendum eo coronae symbolo summum aliquod sacerdotium, dignitatemque designari, quod in rem nostram satis est. Simul autem patet, ut id obiter animadvertam, etsi incerta sit tot numismatum explicatio aversae partis, de eorum tamen antiquitate minime dubitandum.

Eiusdem Syriae Metropolis praeterea extant nummi, et quidem obvii cum capite femineo, et in posteriori parte conspicitur simplex lauri ramus, additis epochae Antiochenae diversis notis chronologicis. Quid clarius hoc symbolo, quo Antiochia se Apollini sacram profitetur? Laurus graece ΔΑΦΝΗ, et ipsa Vrbs ΕΠΙΔΑΦΝΗ, latinis *Epidaphne*: prope illam erat lucus a Seleuco quondam Apollini consecratus, cui pariter nomen ΔΑΦΝΗ. Haec omnia itaque clare ostendunt quid eo symbolo ab Antiochenis exprimi voluerit.

Sequatur alterum eximium numisma Vrbis incertae cum capite Liviae Augusti uxoris, cuius pars aversa exhibet, ut in nostro Ciceroniano, manum dexteram, quae tres erectas spicas retinet cum epigraphe ΚΑΡΠΟ.

ΦΟΡΟΣ, et notis chronolog. L. ΛΔ apud Pellerin. Mel. II pag. 18. Tab. XXV. n. 7. Livia ex Augusti testamento in Iuliam famil. adoptata etiam in Lapide apud Murat. Thesaur. Inscript. T. I. pag. CCXXII n. 3 Ceres appellatur his verbis.

CERERI. IVLIAE. AVGVSTAE
DIVI. AVGVSTI. MATRI. TI.
CAESARIS. AVGVSTI

Sive spicas e dextra assurgentes, sive vocem adiectam ΚΑΡΠΟΦΟΡΟΣ *frugifera*, quo nomine referente Pausania Ceres vocabatur, liquido patet eam Vrbem hoc typo spicarum Liviae tanquam alteri Deae Cereri nummum dicasse.

Denique hic commemoranda pulcherrima Naxiorum Siciliae argentea numismata cum capite Bacchi modo imberbi, modo senili facie, et uvae racemo in posteriori parte, utrimque pampinis dependentibus. Quod signum sine interprete clare satis indicat eam Vrbem Libero Patri sacram fuisse. Atque idipsum de altera Naxo Cycladum Insula, aliisque Vrbibus eidem Baccho dicatis facile demonstrari posset.

Quae autem in nummis expressa videmus symbola, haec ipsa sacerdotes in sacris faciundis, in publicis muneribus, pompisque gestasse ex veteri historia liquet. Narrat Plutarchus, ut de his aliqua pariter exempla afferamus, in vita Catonis min. cum ille Antiochiam Syriae venisset, extra portam catervam hominum invenisse ex utraque parte viae decore cum clamydibus dispositam, inter quos candidas vestes aliqui, et coronas gerebant, erantque ex numero sacerdotum, et magistratuum; unus autem eminebat vir aetate iam provectiore virgam, et coronam manu tenens, Demetrium civem suum expectantes, qui a Pompeio, cuius erat libertus, ipsis autonomiam obtinuerat. Quae pompa, et appara-

tus pro homine libertino deridendi eos occasionem Catoni praebuit, eiusque comitatui. Apud Athenienses in Oschophoriis festis etiam pueri talari veste induti racemos vitis gestabant, qui uvis recentibus erant onusti, ut est apud Athenaeum, et Scholiastem Nicandri Alexiph. Ibidem etiam in ludis, qui Panathenaea vocabantur, seniores ramum oleae gestabant. Apud Romanos quoque in more positum erat, ut in publicis muneribus, pompisque sacerdotes frondes, aliaque sacerdotii sui signa praeferrent. In nummis vero, qui notissimi sunt, sua sacerdotia exprimere solebant ipsis instrumentis sacerdotalibus, lituo, apice, secespita, simpulo etc., modo uno, modo pluribus, quatuorve simul in non paucis Caesarum denariis.

Concludendum itaque ex allatis hactenus exemplis signa, quae in aversa parte Ciceroniani nummi intermedio supremi magistratus nomine sese exhibent, neque ab usu institutoque graecarum Vrbium abhorrere, aptissimeque significare Theodorum fuisse Stephanephorum Vrbis Magnesiae ab Sipylo, cui primariae dignitati, ut vidimus, iungebatur Solis, sive Apollinis sacerdotium. Eundemque simul sacerdotem Deae Cereris, et Bacchi extitisse: quae omnia cum literis, et inscriptione in nummo exprimere non posset, eadem signis, sive symbolis apte dispositis designanda curasse. Haec autem allata explicatio, si cui forte non arrideat, haud aegre feram, dummodo tamen ex difficultate rei explicandae contendere sibi minime fas esse putet, quod nummi antiquitas in suspicionem vocanda sit.

Solvenda modo pauca, quae supersunt obiecta, ne quid intactum relinquamus, quod ad omnem a Ciceroniano nummo fraudis invidiam propulsandam spectare queat. Mirum autem videri debet, cum duo iam saecula sint elapsa, ex quo Fulv. Vrsini nummus vulgatus

fuerat, neminem inventum esse, qui argumenta ex instituto proposuerit, quibus demonstrandum sibi sumeret eundem inter adulterinas merces esse reiiciendum, si unum excipias Paciaudium hac nostra fere aetate, ac nondum decennio elapso CL. Eckhelium Doctr. Num. Vet. T. V. ubi p. 327. de Tullia Famil. sermonem instituit. Verum Paciaudius quantum doctrina, atque eruditione in caeteris praestabat, tantum sibi parum tribuere poterat ex usu, atque exercitatione in iudicando de monumentis ad artem numismaticam spectantibus. Quare coniecturis tantum, atque aliorum fide niti potuit, de quibus quale iudicium ferendum sit, partim iam supra demonstratum est. partim vero ex modo dicendis constabit. Eckhelius autem fatetur citato superius loco pag. 329, cum nullum ex tribus iam inventis suo tempore *viderit*, *ab ea parte nummum* suo iudicio *neque condemnare*, *neque recipere posse*, atque una *tantum argumenta extrinseca sibi permissa esse*, de quibus mox videbimus. Caeterorum vero omnium, qui ad hunc usque diem de Ciceroniano nummo mentionem fecerunt, liquet maximam quidem partem in eo laudando, approbandoque ponendam esse, ex quibus etiam quamplures summa artis nostrae peritia, atque exercitatione in huiusmodi iudicandis mercibus praestarent, nummumque suis oculis subiicere, et contemplari potuerunt, ac praesertim binos illos, qui Romae, et Smyrnae inventi fuere, quorum Cl. Virorum nomina a me debita cum laude non uno huius Dissertationis loco commemorata sunt; minorem vero esse partem eorum, qui nummum in suspicionem vocaverint: ex eo autem genere esse, qui nec ullum ex tribus nummis viderint, qui rerum numismaticarum usu, atque exercitatione careant, qui denique iudicium pronuntiaverint ex vago quodam, atque incerto rumore, cui, ut ego quidem arbitror, occasionem dederit ipsa rei novitas, et falsa, ab-

R

surda, ineptaque eiusdem nummi explicatio a Ioanne Fabri Medico Bambergensi facta. In id unum autem illi consentiunt, ut sine Auctore, et sine probatione obiiciant: *Ciceronianum numisma esse suspectae fidei: futurum semper dubiae fidei*, et similia. Sed iam ad Paciaudii, atque Eckhelii obiecta veniamus. Ac primo quod spectat ad memoratas in suis Animadversionibus Philologicis a Paciaudio thecnas a Velio, et Borgiano Cl. Vrsino structas, ut eum ad Ciceronis numisma emendum allicerent, huic obiectioni cumulate iam satisfecimus suo superius loco. Quod addit Fulv. *Vrsinum videri dubia semper, ancipitique fluctuasse cogitatione, quid de huius nummi antiquitate statueret*, quamquam id ad antiquitatem nummi, vel eius suspectam fidem ultimo definiendam parum conferre possit, ut quisque videt, praesertim cum idem numisma supersit adhuc, atque ad artis peritos provocare liceat, ut de eo sententiam ferant, tamen falsum est, quod verbo affirmat, quin probet Cl. Paciaudius. Nam, ut ego quidem non tantum verbo negem, sed facto ostendam, quod etiam supra iam innuimus, si revera Vrsinus pro suspecto habuisset numisma magno pretio a se comparatum, ex cautione, qua eius venditio proposita fuerat, de qua suo superius loco diximus, illud proculdubio Borgiano remisisset. Quod non modo factum non fuisse constat, sed insuper Ciceronianum illud numisma ab eodem Vrsino Dallaeo traditum, ut se inspectante delinearet, illudque delineatum cum caeteris Musei sui praeclaris imaginibus primo quoque tempore in lucem ederet. Constat denique, ut idem Paciaudius fatetur, laud. Fulv. Vrsinum illud idem numisma suo Testamento, quod die XXI Ianuarii anni MDC condidit, Cardinali Odoardo Farnesio legasse cum caeteris Numismatibus aureis, argenteis, aereis, gemmis etc.

quae omnia primo in Parmense, deinde in Regium Neapolitanum Museum haereditario iure transierunt.

Recenset subinde Paciaudius Cl. Viros, qui eundem Ciceronianum nummum pro genuino habuerunt, Andream Schottum, Tristanum Sanctamantium, Gronovium, ac ultimo loco Ioannem Fabrum, et Pedrusium, qui illum patrocinio suo vindicandum susceperunt. Sed animadvertit hos postremos *tantam in antiquariis commendationem non collegisse, ut fas sit illorum sententiae sine cunctatione assentiri, atque in hac una auctoritate conquiescere. Posse etiam se Fabro, Pedrusioque opponere peritorum nostri aevi virorum iudicia, qui olim Parmae, nuperque Neapoli nummum sedulo examinarunt, et quorum testimonio dolum retegunt ascititius aeruginis color, et impressum alicubi limae vitium.* De Fabri, et Pedrusii auctoritate nihil dicam, cum eos respuat Iudices in hac quaestione Paciaudius. Vtinam vero nominasset, qui Parmae, et Neapoli de numismate iudicium protulerunt, ut nobis constare posset quanti facienda esset ipsorum auctoritas. Aliquid enim est, quod iure opponi posse videtur. Nam qui typariis formis inclusi nummi malleo feriebantur, ab iisque subacti exibant, ut Regius Neapolitanus, limae opera non indigent: de nativa vero aeruginis vetustate eiusdem nummi fidem faciunt artis nostrae periti, qui illum inspexerunt, ac unusquisque, eodem adhuc superstite, si velit, certior fieri potest. Nemo itaque non videt quam parum prosit huiusmodi silentium in causa, quam Paciaudius defendendam suscepit. Ego e contra praeter tres illos testes, quos supra minime respuit Paciaudius, nominabo Cl. Virum, et in rebus numismaticis versatissimum Matthiam Zarillum, qui mihi cum esset Regii Nummophylacii Neapolitani Praefectus, suis humanissimis literis significaverat: *immerito prorsus sibi videri, quod aliquando in suspicionem vocari po-*

tuerit praestantissimum Fulv. Vrsini Ciceronis numisma, cum in eo nihil non eluceat, quod omni ex parte eius genuinam antiquitatem non commendet. Nihil de me dicam, quamvis mihi quoque non aliter visum fuerit, cum deinceps Neapolim me contulissem, illudque non sine magna voluptate oculis meis subiicere potuerim, atque cum altero nunc Classensi conferre licuit. Habet illud aeruginem ad viridem colorem accedentem, nostrum vero coloris subobscuri: utrumque vero integritate satis spectabile, cum tertium Cusinerianum usu attritum ex apographo plumbeo ad me transmisso appareat. Nominabo praeterea quo ad Classense artis peritos, quibus Roma abundat; quo ad alterum vero, Sestinium, et Cusinerium iudices omni exceptione maiores, de Parisiensibus, demum, atque Classensi Ennium Vicecomitem, de quibus omnibus in hac Dissertatione honorifica mentio facta est.

Sed argumenta ex auctoritate ducta cum ipso Paciaudio iam dimittamus, et unicum, quod superest de penu suo in probationum confirmationem ultimo loco propositum expendamus. *Addo*, inquit, *Artificis* σφάλμα *in scribendo Magistratus nomine. Notus inter Praetores Magnetum* ΑΥΡ. ΘΈΟΔΑΤΟΣ, *sed in Vrbis illius nummis, qui Eruditorum manibus teruntur, nunquam occurrit* ΘΕΟΔΩΡΟϹ: *ex quo, ut Typothetae proditur inscitia, ita etiam operis mentitio significatur*. Mirabitur quispiam egregio Viro, et in omni eruditionis genere clarissimo tam inconsiderate haec de calamo excidere potuisse. Primo enim tempore Fulvii Vrsini ignotus erat nummus Magnetum cum magistratu Aur. Theodati, vel Theodoti, nec nisi post centum fere annos innotescere coepit ex Vaillantio, a quo primum vulgatus sub Gordiano Pio, postea a Pellerinio, ac postremo a Sestinio. Omnes isti vero non habent ΘΕΟΔΑΤΟΣ, sed ΘΕΟΔΟΤΟΣ. Deinde annuus ne Magnetum magistratus unus

idemque semper esse debuit nomine ΘΕΟΔΟΤΟΣ ab Augusto ad Gordianum Pium? Quis ignorat singulis fere annis diversa magistratuum nomina in huiusmodi nummis occurrere? Innotescunt iam sub Augusto ex vulgata post Paciaudium Magnesiae moneta: *Sacerdos Augusti Dionysius Cillidianus*, et *Eumenius* sub Livia apud Sestin. Descript. Num. V. pag. 425, tum posteriori tempore plures alii nomine plane diversi a Theodato, vel Theodoto. Num hi omnes nummi in suspicionem vocandi? Praeterea habemus in Foedere Smyrnaeorum cum Magnetibus nostris icto *Pythodorum Stephanephorum* Magnesiae Vrbis, et in nummo autonomo apud laud. Sestinium cit. loco ΕΠΙ CTP. M. AVP MATPOΔΩPOV. Num falsa lectio Lapidis Oxoniensis, aut pro suspecto habendus nummus Sestinii, quod a nomine Theodati aberret? Sed nimium multa de re tam levi, quae excidit cl. Paciaudio, nihilque prodesse potest ad Typothetae cuiuspiam fraudem detegendam. Nomen ΘΕΟΔΩΡΟC saepe occurrit in aliarum Vrbium nummis, atque nos ipsi supra in quatuor Traiani numismatibus Tripolitarum Cariae memoravimus ex Pellerinio, Haymio, et Eckhelio eundem semper Theodorum nomine, qui simulacra optimo illi Principi dedicaverat, iisque nummis testatum voluit. Ex duplici igitur argumentorum genere, quibus utitur Paciaudius, si seponamus ea, quae ex auctoritate ducuntur, quaeque profecto comparari nequeunt cum tot spectatae eruditionis, ac peritiae huius artis praeclarissimis testibus, de quibus iam diximus supra, quid quaeso restat, nisi unus ΘΕΟΔΑΤΟΣ ad labefactandam Ciceroniani nummi antiquitatem?

Sed iam ad obiecta Cl. Eckhelii gradum faciamus. Narrata ab eo historia trium numismatum, quae ad eius notitiam pervenerant cum Ciceronis imagine, facta etiam mentione Virorum magni nominis, qui nummum

approbarunt; tum vero recensitis aliquot argumentis in contrarium a Paciaudio allatis, de quibus hactenus dictum est, ad ea transit, quae tantum sunt extrinseca, quaeque, ut ipse loquitur, *offert ars ipsa Numismatica, eiusque praecepta ad spurios nummorum natales detegendos*. Ac primo interrogat: *quid ad Ciceronem nostrum Magnesia Sipyli*? Sed interroganti iure opponere possum ad rem aliquam certo definiendam argumenta nihil valere, quae incerto, atque obscuro nitantur fundamento. Si certo constaret Magnetes a Tullio nullis unquam peculiaribus beneficiis affectos fuisse, vim aliquam obtineret difficultas. Sed cum e contra de beneficiis constet, ex hoc ipso obiectio corruit. Videnda quae superius demonstrata sunt de tota Asia minori, quae cum eidem praeesset Quintus frater a Tullio nostro summis suis laboribus, ac contentione ab aedilitio vectigali liberata fuisset eidem, eiusque fratri Templa, statuas, quadrigas, aliaque monumenta decreverat. Quae quamquam ab ipso repudiata fuerint, novimus tamen fratri signum aeneum dedicatum fuisse, ex quo non iniuria inferes, alterum pariter Marco ipsi quoque erectum in tanti beneficii memoriam. Quid praeterea absurdi si admittamus Magnesiam Vrbem insigni aliquo beneficio a Tullio nostro affectam illum hospitalitatis, et clientelae iure donasse, atque ut Patronum, et benefactorem, ne dicam pro cive suo habuisse, velut hominem illustrem, Oratorum Principem, ac tota Graecia celebratissimum, idque praesertim, si ponamus, quemadmodum supra verisimile diximus, Dionysium praeceptorem suum in eadem Vrbe Magnesia ab Sipylo natales habuisse. Si Cl. Eckhelius nummum aliquem ex tribus inspexisset, eumque pro genuino iudicasset, proposita difficultas plane evanesceret; ac consequens profecto esset iustam Magnetes habuisse causam, cur Ciceroni nostro numisma, de quo agimus, dedicassent.

Nullius ergo ponderis esse potest proposita difficultas, cum nulla ratione demonstrari queat ab Eckhello omnem iustam abfuisse causam, cur Magnetes illud numisma in Ciceronis honorem, ac memoriam edere potuerint.

Hic autem opportune in rem nostram ex aequo interrogare mihi fas sit: *quid peculiariter ad Tiberium Magnesia Sipyli*? Nam etsi Princeps ille Asiae, et Lydiae Civitates, inter quas Magnesia, terremotu labefactatas suis sumptibus instaurandas curasset, nulla tamen ex reliquis extitit, quae se obstrictam censuerit, ut pecunia publica grati animi significationem aliquam Tiberio exhiberet. Haud igitur verisimile, quod una Magnesia silentibus caeteris, et ipsius Lydiae Metropoli, id sibi arrogaret? Nummus itaque eiusdem Magnesiae cum illo tam specioso *Conditoris sui titulo*, quem supra memoravimus, in suspicionem vocandus erit. Idem autem dicito de altero ipsius Magnesiae numismate superius pariter descripto, quo Nero non inepto adulationis genere ΖЄVC ЄΛЄVΘЄΡΙΟC *Iuppiter Liberator* ab ea appellatur, quod Graeciam universam libertate donasset post certamina, et victorias, quas in ea Cytharoedus ille Imperator reportaverat, cum nullum aliud simile exemplum occurrat apud caeteras quasque Vrbes eodem beneficio affectas. Idem denique cogitandum foret de nummis ab eadem Vrbe editis nullo alio simili exemplo, in honorem Augusti, eiusque Domus, Caligulae insuper, eiusque matris Agrippinae, eorumque signis, et statuis ab ea erectis, de quibus pariter suo loco dictum est. Singulos tamen recensitos nummos idem Eckhelius in lib. de Doctr. N. V. affert, ac pro genuinis habendos minime dubitat. Vnum illud itaque ex his omnibus potius inferre oportebit, Magnetes ab Sipylo prae caeteris Vrbibus propensos, liberalesque fuisse in referenda gratia pro beneficiis acceptis, atque ad eam declarandam omni monumentorum genere, imprimisque publica Vrbis

suae moneta. Ex quo demum facilius quisque sibi suaderi poterit, cur illi suum erga Ciceronem de se optime meritum, data occasione, studium, et benevolentiam posteritati tradendam minime praetermiserit.

Quae secundo loco a Cl. Viro afferuntur ex Commentario Ioannis Fabri in eundem nummum, ut probet absurditatem, ac repugnantiam, quod vivente Cicerone, nummus ille a Magnetibus signari potuerit, gravissimum sane argumenti genus in se continerent, si repugnaret, quod Ciceroni defuncto dicaretur, ac nisi repudianda foret Io. Fabri opinio, constituto etiam, quod Ciceronianum numisma pro genuino habendum sit, quemadmodum sane ex hactenus probatis solide, cumulateque constare arbitror. Quid de tempore editi nummi ipse quidem merito statuendum putem, Parte prima Cap. III fuse exposui. Sed modo opportune accedit praeclarissimi Viri Ennii Quirini Viccecomitis auctoritas, qui in laudata superius sua epistola prope finem hac super difficultate haec habet, quae hic ad verbum exscribenda duco: *Degli argomenti proposti dall'Eckhel per rivocare in dubbio l'autenticità di simili medaglie uno solo mi par forte: e sarebbe quello di vedere il ritratto di un uom vivente, che non era un Rè, rappresentato sulla moneta d'una città a quell'Epoca. Ma oltrecchè le presunzioni debbon cedere alla realtà, la mia opinione è di non riguardare queste medaglie di Cicerone come battute lui vivente, nè come monumenti contemporanei. Questa stessa opinione io la propongo nella mia* Iconografia antica, *che stò facendo per ordine dell'Imperatore*. Ex tanti viri igitur auctoritate gratulor primo ea mirifice confirmari, quae a me superius fuse demonstrata sunt, ubi Io. Fabri reprobata sententia, eo tempore, eaque occasione Ciceroni dudum defuncto nummum a Magnetibus signari potuisse docui, quae cum Graecarum Vrbium legibus, cum veteri historia, ac de-

nique cum eorum temporum monumentis mirifice consentiat. Gratulor secundo, quod sua illa sententia manifeste ostendat Parisiensium numismatum, caeterorumque authentiam nullis iure difficultatibus, aut exceptionibus in dubium revocari posse, sicque tam celebri controversiae supremum tandem finem imponat. Quis enim eo Iudice in idem praesertim iudicium consentientibus Sestinio, Cusinerio, Zarillio, aliisque artis nostrae doctissimis, atque exercitatissimis Viris, quos in hac Dissertatione non sine laude memoravimus, acquiescendum sibi non putaverit, atque omnem, si quem habuerit, ex animo scrupulum non abiecerit?

Altera quoque, quae subiicitur obiectio *de insolenti aversae partis typo nullo pacto ad veterem modum comparato*, iam hoc ipso capite, nec improspere, ut arbitror, sublata est. Demonstravimus enim typum illum, quamvis novus, et insolens videri possit, rei tamen exprimendae aptissimum esse; insuper vero similium numismatum exemplis palam factum est singula illa signa, sive symbola a veteri Graecorum more, usuque non recedere, praesertim cum agatur de nummo ob peculiarem causam, atque extra ordinem edito, quae non sunt hoc loco repetenda. Quod si sola novitas in similibus aversae partis typis attendenda esset, ut nummi inter spurios recenserentur, quot quaeso expungendi forent ex doctissimis libris ipsius Eckhelii de Doctr. N. V.? Non ne novus, et insolens plane in nummo Nicaeae Bithyniae typus Tom. II pag. 425, quo exhibetur Vir in equo, qui pedem sinistrum humano similem habet, dexterum in manus pariter nostrae formam expressum refert, eaque Aesculapli baculum retinentem. Vidit illum ipse Eckhel. Romae in Mus. Reg. Christinae, viderant Spanhem. et Vaillantius, atque adhuc supererat, cum illud me curante, munificentia Pii VI in Museo Vaticano collocatum fuit.

Inscriptio ΙΠΠΟΝ ΒΡΟΤΟΠΟΔΑ. significat equum humano pede. Habemus huius rei exempla in equis Alexandri M., et Iulii Caesaris teste etiam Plinio Libro VIII, sed de manu insuper humanae formae nullum tale exemplum. Quid porro habet Eckhelius? *in praesenti nummo*, inquit, *monstrum istud*, *quid indicet*, *difficile est assequi*. Non igitur huius typi novitas falsitatis praebet argumentum. Mitto alia id genus exempla plurima, de quibus idem Cl. Auctor fatetur, vel typum esse singularem, vel ignotum plane, et similia, neque enim in re tam perspicua diutius immorari par est.

Postremae obiectionis verba ipsa referam, quae sunt huiusmodi: *adde tria eius exemplaria reperta in uno fere agro Romano*, *tanto a Magnesia intervallo distante*, *quando hactenus ex ipsa Lydia*, *cuius Civitatum nummis Musea nostra abundant*, *alter similis allatus non est*, *satis credo apparet*, *nummos hos esse opus obscurae officinae*, *et ubi repertos*, *ibi et natos*. Ad haec pauca quaedam adnotare aequum existimo. Feracissimus non modo latinarum, sed etiam Graecarum mercium ager Romanus tot insignia ditavit Vrbis Musea, Card. Maximi, Petri Ottoboni, de Carpineo, Alex. Albani, Reginae Christinae, Ful. Vrsini, Domus Strotiae, de Alteriis, Ghisiorum, de Ludovisiis, aliorumque plurium Nobil. privatorumque Virorum, suasque insuper divitias in omnes Orbis partes effudit, ne excepto quidem Caes. Vindobonensi Museo, cui quondam magna facta fuit accessio ex eo PP. Carthusianorum, quod Romae servabatur: Cl. tamen Eckhelius mirari potuit, si in hoc tam frugifero solo, ducentorum fere annorum intervallo, duo Numismata cum Ciceronis imagine inveniri potuerint? Hodie etiam quotidie fere, licet non tam largo foenore, similes opes eruuntur, quae nondum advectae ex iis Provinciis, Vrbibusque, in quibus ortum habuerant, iisque etiam carent illustriora quaeque

Musea, qua de re ipse quoque ex meis rivulis non pauca, eaque illustria afferre possem exempla, quae eruditus lector in Musei nostri proxima editione invenire facile poterit. Sufficiat autem commemorare hic duo maioris moduli praeclarissima numismata, quorum alterum exhibet capita se respicientia utriusque Africani in Vrbe Aegaea Ciliciae editum cum notis chronologicis, alterum vero in Vrbe Prymnesso Phrygiae Africani Patris, utrumque cum novo titulo praeter notos ΣΕΜ, et ΑΦΡ *venerabilis*, et *Africani*, etiam ΡΩΜ *Romani*. Idem Eckhel. Doctr. N. V. T. VII pag. 302 affirmat: *nummos cum Gordianorum Afr. capite Vrbium Liberarum nondum compertos, dempta Samo ex Mus. D' Ennery*, quem nummum, et ipse possideo, de quo tamen dicam in Musei n. illustratione quid sentiam, *et Antiochia Cariae, si fides Arigonio habenda*. Desiderantur itaque in singulis quibusque Museis nostra duo Aegaeae, et Prymnessi numismata, quamvis earundem Vrbium nummis abundent, quo ad caeteros fere Imperatores. Neque nostra duo ab Vrbibus ubi ortum habuerunt Romam allata, sed in agro Romano, vel eius finibus inventa. Consequens igitur erit ex Eckhelii ratiocinio, quod hi nummi: *sint opus obscurae officinae, et ubi reperti, ibi et nati*? Sed illud pro certo confirmare possum utrumque ex laudatis nummis legitimum esse, quantum quisque alius, de quo nemo dubitat. Mitto alia sexcenta id genus numismata, quae nisi in agro Romano detecta essent, quam plurimis eximiis monumentis carerent praeclara tam Eckhelii, quam caeterorum Opera. Sed praeterea falsum est: *tria eius numismatis exemplaria reperta esse in uno fere agro Romano.* Vnum Bononiae a Fulvio Vrsino emptum fuerat, quae Vrbs CCCL milliaria ab Vrbe distat, utrum vero in eo agro inventum fuerit, an aliunde advectum in obscuro versatur. Cusinerianum Smyrnae emptum in finibus Magnesiae re-

pertum fuisse non iniuria affirmari potest; Magnesia enim Lydiae non longe aberat ab Vrbe Smyrna, in cuius Dioecesi adhuc computatur. Reliqua sunt duo Romana, quorum primum circa annum Aerae vulgaris MDLXX detectum, totum iam vitiatum, corruptumque fuisse constat, quae facti veritas iugulat plane Adversariorum sententiam; multis enim annis opus fuerat, ut in scoriam abiret, quo tempore nondum adulterinarum mercium Artifices orti erant, qui si extitissent illud plane omni ex parte corrumpi, et destrui nec permisissent lucri causa; insuper vero authentiam confirmat alterius, quod ducentos post annos e terrae visceribus sine controversia erutum, atque limo, et aerugine oppletum inventum fuisse certum est. Atque haec iustae defensionis causa ad singula Eckhelii obiecta attulisse sint satis.

Caeterum ex ipsa Cl. Auctoris obiiciendi ratione non parum iam in causam nostram proficere licet. Primo enim pag. 327 fatetur hunc nummum *non esse* ex eo *numero, quorum mala fides, vel primo conspectu facile offendit*; secundo *unum esse, quem multorum iudicia in hunc usque diem γνησιότητος iure donaverunt*. Tertio denique pag. 329 *se neque recipere posse, neque condemnare* eam ob causam, *quod illum non viderit*. Sed longe praestantius fecisset, ut etiam initio innuimus, ac fastigium quodammodo egregio operi suo de Doctr. N. V. imposuisset, si eo tempore, quo in Italiam se contulerat, ac Romae substiterat, omnem penitus controversiam de hoc Numismate, vel suo, vel aliorum iudicio dirimendam curasset.

Restat hoc postremo loco, ut de variis, quae laudantur Ciceronis imaginibus verba faciam, et aliquam veluti normam, ac rationem proponam, qua constare queat, quae nam ex illis approbandae, vel repudiandae sint. Nemo porro in dubium revocabit plures antiquitus Ci-

ceroni statuas, signaque erecta fuisse, vel etiam eius imaginem gemmis insculptam, suorumque operum codicibus praemissam ex illo Martialis disthico:

Quam brevis immensum cepit membrana Maronem?
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Quod idem merito de Cicerone cogitandum est, cum eius divina prope eloquentia, et ingenii vis omni aetate, atque ab omnibus nationibus, in quibus aliquis optimarum Artium cultus extitit, summo semper in pretio, atque honore habita fuerit. Ciceroni adhuc viventi statuam a Capuanis consecratam fuisse testis est ipse Tullius, ut supra iam vidimus. Ab Asiaticis eidem aeque, ac eius Q. Fratri signa quaedam in beneficiorum memoriam posita fuisse ex supra probatis satis patet. Lampridius in vita Alexandri Severi Cap. XXXI hunc opt. Principem in secundo Larario Ciceronis effigiem habuisse, et coluisse narrat. Cum autem in more positum esset, ut in publicis Romanae Vrbis Bibliothecis, in Aedibus, et Villis potentiorum civium, tum etiam in nobiliorum Vrbium foris, theatris etc. ad sapientum, atque illustrium Virorum memoriam posteritati commendandam eorum simulacra collocarentur; quis quaeso dubitabit inter ea locum quoque habuisse disertissimi Oratoris nostri effigiem? Bibliothecam Asinii Pollionis Virorum omnium illustrium imaginibus refertam, ea quoque M. Varronis adhuc viventis nobilitatam fuisse narrat Plinius, qui de Herennio Severo testatur: illum magni aestimasse in Bibliotheca sua ponere imagines municipum suorum Cornelii Nepotis, et Titi Cassii. Vide eius epist. lib. IV. 28. Cicero denique, ut alia id genus plurima exempla omittam: *malo*, inquit, ad Atticum scribens Epist. 9. lib. IV, *in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis sedere, quam in aliorum sella curuli*.

Quae cum ita se habeant concedendum sane est plures Ciceronis imagines antiquitus extitisse, quae in honore haberentur, et publicis, privatisque in locis dicatae conspicerentur: admittendum quoque in tanta vetustate temporum, atque monumentorum veterum iactura, earum aliquas velut ex naufragio ereptas ad nos pervenisse. Dixi earum aliquas, nam cum scribat Cicero noster lib. V de Finib.: *nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam: cuius imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, et in anellis habent.* Quod Plinius quoque confirmat Lib. XXXV. 2. Attamen unus modo superest Hermas Capitolinus cum eius nomine inscripto, ex quo certam de eius imagine notitiam assequimur. Qua etiam veluti norma, ac regula de paucissimis aliis, quae Epicuro tribuuntur, rectum iudicium pronuntiare licet. Admittamus itaque aliquas adhuc superesse M. Tullii imagines. Quis tamen in tanto praesertim numero earundem, quae circumferuntur, quaeque inter se specie, et figura diversae sunt tuto iudicare poterit, utrum Ciceronis vultum referant, nec ne, sine vetusto aliquo exemplari, cum quo conferantur? De tot Oratorum, Poetarum, Philosophorum, aliorumque Virorum illustrium statuis, signis, figuris, quae veteri indicio carent, quo dignoscantur, quam incerta sint hominum iudicia, vel ex uno Antisthene philosopho manifestum factum est, postquam ex agro Tiburtino integer ipsius Hermas munificentia Pii Sexti in Museo Vaticano positus fuit. Vno enim ipsius testimonio singulae, quae de eo celebrabantur imagines inter obscuras, ignotasque reiectae sunt. Optima itaque ea norma ad Ciceronis imagines definiendas esse debebit, quam olim Borgianus nummi venditor Fulvio Vrsino rescribens proposuit iis verbis, quae iam initio attulimus: *non ex gemma, cuius imago incerta, de nummi antiquitate, de qua ad Peritos*

Artis Romanos provocabat, esse iudicandum, sed ex nummi, qui certissime antiquus, effigie, de caeteris, quae iactabantur tamquam imagines Ciceronis, sive illae in marmore sculptae, sive in gemmis, iudicium ferendum esse. Quam regulam Eckhelius quoque Doctr. Num. Veter. in Proleg. pag. XC unicam esse agnoscit, concludens his verbis: *ergo si qua veteris aevi in lucem profertur imago, ad nummos provocamus, quorum oraculum si eam definit, satisfactum nobis putamus, neque ultra inquirimus, sin cessat, in incertarum numero nullo vindice habebitur*. Duplicem itaque uberrimumque fructum ex praestanti Magnesiae numismate modo iam percipere fas est. Constat enim primo ex eo, quae fuerit disertissimi Oratoris vera, et expressa vultus species, atque imago; secundo eodem tamquam certa norma uti licet, ut de caeteris, quae Ciceroni adscribuntur diudicemus. Neque hoc loco imagines singulas, quae de Cicerone afferuntur describere in animo est. Adi si libet Iac. Gronovium, qui Praefationi Oper. Tullii edit. Lugd. Batav. ann. 1692 Tabulam aeneam praemittit cum X imaginibus unius, eiusdemque Ciceronis. Vide etiam Monumenta Matthaeiana ab Amadutio illustrata, ubi deprehendes quot numero, quamque praestantes Viri in Cicerone ornando, eiusque effigie e tenebris, atque oblivione vindicanda laboraverint, simul autem comperies quanta cum incertitudine, ac dubitatione id facere debuerint, quod de nummo Magnesiae nondum ipsis certa ratione constaret. Modo itaque eo optimo, praestantissimoque Iudice generatim definiamus quae nam ex tanto numero repudiandae videantur. Ac primo quidem exulare iubeto quotquot inter eas cum effigie in nummo nostro, vel Fulv. Vrsini, vel Cusineriano expressa minime consentiunt, sive Ciceronem exprimant in constantis aetatis flore, ut in numismate, sive etiam cum ille senior factus esset. Nam in qualibet

aetate, praesertim iam in senium vergente characteres, ac lineamenta haud equidem depereunt, quibus unius vultus ab alterius facie distingui valeat. Deinde pro alienis, spuriisque imaginibus habeto quotquot sunt collo brevi, et pingui, aut faciem exhibent pleniorem, aut denique capitis calvitio minime carent, nam suo loco probavimus M. Tullium etiam cum in Senatu adversus Antonium pro Reipublicae libertate certaret, capillis bene vestitum verticem habuisse. Si singula haec genera e censu imaginum Ciceronis expunxeris, paucas admodum reliquas esse compereris, quae cum nummi nostri effigie sint comparandae, atque ad eius similitudinem accedant, de quibus quin aliquid mihi definiendum sumam apud aequos rerum aestimatores iudicium esto. Vnum dicam Protomen Matthaeiorum praeter calvitium, ac collum breve, ac pingue nimis, inscriptionem quoque recentiori manu adiectam exhibere, quae non quadratis literis, sed lunatis constat, nec vetustam redolet aetatem. Eckhelius eandem se insuper vidisse testatur, cum adhuc ex iniuriis temporum misere vexata habebat laceras nares, labia, mentum: unde quis certo affirmare poterit in iis vulneribus, laesisque partibus restituendis nihil veteri formae detractum, aut additum fuisse? Monendus denique iterum Lector iconismum, quo usus est Amadutius, quem ipse perficiendum curaveram deinceps repudiasse, quod ab archetypi similitudine nimium recedat, nec ab eo praeterea sublatum fuisse ab Artifice σφάλμα in nomine magistratus, qui ex nummi fide scribendus cum Ω: ΘΕΟΔΩΡΟϹ.

INDEX

RERVM PRAECIPVARVM, QUAE IN HAC DISSERTATIONE CONTINENTVR.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri sacri Palatii Apostolici Magistro.

Benedictus Fenaja Congregationis Missionis Archiep. Philippen. Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Vincentius Pani Ordinis Praedicatorum Sac. Pal. Apostol. Magist.